

# PAPISMI

HOC EST:

*ERRORVM PONTIFICIORVM  
METHODICÆ ENUMERATIONIS, ET  
brevis, pia, atque modestæ Re-  
futationis*

## PARS ALTERA

AUTHORE

JOHANNE GISENIO, SS. THEO-  
LOGIÆ DOCTORE ET IN INCLYTA  
Academiâ Gießenâ ordinario Professore.



GIESSE,

*Typis exscribebat Casparus Chemlinus.*

*Anno M. DC XIIIX.*

P A P I S M I

HOC EST:

ERRORUM PONTIFICIORUM  
METHODICAM ENUMERATIONEM, ET  
DICTA, PNE. SIGNE MODESTE. K.



P A R S A

IOHANNES GISENIUS S. THEO.  
LOGICAE DOCTOR ET IN IUSTITIA  
ACADEMIAE GIESSENENSIS PROFESSOR



1830  
Typis exspectabat Casparus Christmann.  
M. DC. CXXX.



ILLUSTRISSIMIS, AC CELSIS-  
SIMIS PRINCIPIBUS, AC DOMINIS

Domino Georgio, Domino Johanni, } Fratribus  
Domino Henrico, Domino Friderico, } Germanis

Illustris. Principis ac Domini,

DOMINI LUDOVICI FILIIS, HASSIÆ  
LANDGRAVIIS, COMITIBUS IN CATZEN-  
elnbogen, Dietz, Ziegenhayn, & Nidda &c.

*Domini mei clementissimis.*



ATURAM, & indolum prudentum  
hujus seculi ostensus servator,  
Illustrissimi principes, ac Domini,  
Domini mei Clemētissimi, propo-  
nit exemplum *Luc. 16.* infidelis cu-  
jusdam œcononi, seu Dispensato-  
ris, ejusque descriptioni memoriâ dignum subjungit  
Epiphonema: *Filii hujus seculi, inquiens, sunt prudentiores  
filiis lucis in natione suâ.* Filios hujus seculi nominat, qui  
magis amant mundum, quam Deum, quorum Deus  
venter est, delitiæ māmōna iniquitatis. Proinde mis-  
sis, &

## D E D I C A T I O.

fis, & neglectis cælestibus, id unicè student, ut sint  
 mundi Domini, & ut possideant regna mundi, atque  
 gloriam illorum. De his dicit servator, quod sint *pru-*  
*dentiores filii lucis*, hoc est, callidiores, & Majori studio,  
 diligentia, & contentione curent terrena, quàm filii  
 lucis cælestia: Nihil enim intermittunt, si quid vi-  
 dent, quod ad scopum suum faciat, quo illud ad se,  
 etiam fraude transferant, noctes ducunt insomnes,  
 ut propositum suum in actum deducant, de alio-  
 rum bonis ditescant, eaque fraudulenter ad se per-  
 trahant. Homines hos in natione suâ, hoc est, in suo  
 vitæ genere, quod est seculare, vel ut aliis placet, in  
 suam conservationem, industrios commendat ser-  
 vator, non quasi ipsam approbet malitiam, & calli-  
 ditatem; sed ut filios lucis, ad diligens studium in  
 curriculo Pietatis, *in quâ non progredi, est regredi*, dixit  
 Bernhardus, excitet. Declarat id B. Lutherus simili  
*Si alterum, inquiens, instigare velim ad vigilandum, orandum,*  
*& studendum, & dico, Ecce, latrones & fures tota vigilant nocte*  
*ut furentur, & latrocinia committant, cur non tu vigilare vo-*  
*lueris, ut ores, & studiis incumbas? Hic non commendo ipsum*  
*latrocinium & furtum, sed industriam, quâ tanquam medio fi-*  
*nem suum obtinent.*

*Filii verò lucis sunt, qui Christo luci hujus mundi,*  
*Luc. 18. adhærent, ipsumque profitentur Christum,*  
*qui est lux vera illuminans omnem hominem veni-*  
*entem in hunc mundum, Iohan. 1. v. 9. qui dicunt cum*  
*Psalm*

DEDICATIO

Pfalmistâ *Psal. 119.* lucerna pedibus meis verbum tu-  
rum Domine. Et ambulant in luce omnium virtu-  
rum *Eph. 5.* Atque quorum lux lucet coram homini-  
bus, ut videant ipsorum bona opera, *Matt. 5.* Hi, quia  
carnem habent Spiritui oblucente m segniores sunt  
filiis hujus seculi in pietatis curriculo conficiendo:  
Quæ tarditas, vecordia, & ingnavia est deploran-  
da; Num decebat, cū illi in malo tam sint prudentes  
& negotiosi, ut hi in bono sint imprudentes, & tar-  
di? Cum autem verâ sint præditi fide, defectus om-  
nes isti teguntur pallio Christi, atque proinde illi  
perseverante fide meritum Christi sibi applicantes,  
audient tandem vocem Christi, *Matth. 25. v. 34. Venite  
benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ab exordio  
mundi;* Filii verò hujus seculi ibunt in supplicium æ-  
ternum, *ver. 42.* Dicit enim eis Filius hominis in glo-  
riâ suâ apparens. *Discedite à me maledicti in ignem æternum,  
qui paratus est Diabolo, & Angelis eius ver. 41.*

Sententia hæc Christi de filiis hujus seculi, quam  
verè cadat in Pontificio s, & cum primis in ipsos Je-  
suitas, nihil attinet, multis me dicere: Testatur mil-  
le testis experientia: Annón enim ipsorum unicus  
est labor, & ultimus scopus, ut regna mundi sibi sub-  
jecta habeant, seculariter ditescant, regnent, & tur-  
pissimum quæstum in Ecclesiâ faciant? Testatur

## D E D I C A T I O.

Disputatio ipsorum de Papæ ineffabili potestate. Testatur fictitiæ donationis Constantini propugnatio, Testantur varia satellitum Pontificis Romani encomia, quibus ipsum Papam Romanum ad Coelum usque extollunt: Nam *Papa est quoddam Numen quasi visibilem quendam Deum præ se ferens: Potest facere omnia, quæ Deus facit. Deus omnia subicit pedibus Papæ, iuxta illud Psalm. & Omnia subiecisti sub pedibus eius. Hæreticus est, qui vocat in dubium; num Papa sit omnipotens Papa nec Deus est, nec homo, sed neuter est inter utrumque. Papa Romanus habet utriusque potestatis temporalis, & spiritualis Monarchiam. Papa tantam habet potestatem tum in Purgatorio, tum in inferis, ut quantum velit animarum numerum, quæ in illis locis cruciantur, per suas indulgentias liberare, & confestim in cælis & beatorum sedibus collocare possit.* Sed hæc pluribus in Disputationibus de Pontifice Romano sum persecutus, ipsorumque Canonistarum ostendi verbis. *Quantus Deum immortalis servus servorum! qui habet utriusque potestatis temporalis, & spiritualis Monarchiam, cui nullus par est nisi Deus, qui idem cum Christo habet consistorium, cui data est potestas in cælo, & in terra, qui, in nocte Nativitatis Domini benedicit eum, quem in signum infinitæ potentia suæ donat alicui Principi.*

Ne dixeris non singula illa encomia arrogare sibi Pontificem. Sed adscribi ipsi à Cathedræ Romanæ ardentibus amatoribus. Nam tantisper dum non contradicatur illis ab aliis cathedram Romanam propugnantibus, rectè ea moventur à nostris, & Pontificiis praxi ipsa seculare imperium affectantibus

DEDICATIO

tibus objiciuntur. Delenda illa erant ex publicis scriptis, si mentio eorum fieri non debebat à veritatis amatoribus.

Quod ultimus Pontificiorum sit scopus disciscere, & opus corradere, dogmatis Pontificii consideratio facile ostendit. Quorsum enim tendat Disputatio de ineffabili Papæ potestate, quâ possit dispensare contra quatuor prima Concilia, imò contra verba Evangelii, contra gradus in matrimonialibus jure divino prohibitos, statuere contra epistolas Pauli &c. œdipo divinatore opus non est. Et quid dicam de nundinatione Indulgentiarum, de Sanctorum meritis de Purgatorio? Taceo venerationem imaginum, Prætereo dogma de contritione cordis, confessione oris, & satisfactione operis. Ex his & similibus facile judicium fieri potest, scopum Pontificiorum ultimum esse turpissimum questum in Ecclesiâ facere.

Quod verò olim ad discipulos suos dixit Christus, illud ad nos dicit hodie, *Matt. 16. vers. 6. 12. Videte, & cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum;* quibus duo à nobis exigit, nimirum inspectionem, & cognitionem, & deinde circumspeditionem, & attentionem. Cognitio est necessaria, ne probetur, vel improbetur non satis intellectum: Circumspectio est necessaria, ut animos nostros muniamus adversus quas-

## DEDICATIO

quasvis argutias, quibus simpliciores à veritate facile abducuntur. Quo sine moti prisce Ecclesiæ Doctores hæreticos prodiderunt, & refutarunt. Quorum vestigiis hoc nostro seculo inhærent, in primis quorum professio id requirit. Quare & ego mei muneris memor, hæreses Jesuiticas, quæ nostro seculo ferè dominatum sumunt, examinandi occasionem studiose juventuti præbui, cum illis de his in publico Auditorio contuli, quarum collationum partem alteram publici facio juris.

Vestris verò Celsitudinibus, Illustrissimi Principes, Domini mei clementissimi, hoc qualecunque officii mei monumentum humiliter, & submissè inscribo, & dedico, ut meum erga Celsitud. V. V. V. V. animum obsequentem, & ad quævis pietatis ac reverentiæ officia paratū declarem. Idque eò magis mihi faciendum putavi, quò majora à Celsitud. V. V. V. V. Illustrissimo Parente, Domino meo Clementissimo extant honeste sustentationis in me beneficia. Ut igitur hoc meum qualecunque studium Celsitud. V. V. V. V. Clementissimè accipiant, quâ possum, quaque par est animi submissione, à Celsitud. V. V. V. V. oro, & precor.

Deum Benignissimum Patrem D. N. I. Christi supplico, ut bonum, quod in Celsitud. V. V. V. V. inchoavit opus, pro divinâ potentiâ, sapientiâ, & bonitate suâ, quotidie magis ac magis stabiliat, & diutissimè incolumes conservet, Amen. Giesæ 5. Septembris, Anno M. D. C. XVIII.

Celsitud. V. V. V. V.

subjectissimus

Johannes Gisenius D.



Disputatio XXVI.  
**DE SACRAMENTIS IN**  
*genere.*

Respondente Gabriele **Sibbern** Hoflato.  
CONTINUATIO.



stensis, & examinatis erroribus Pontificiorum circa Christi personam, officiumq; ejus propheticum, & regium, adeoq; eorundem etiam erroribus de Ecclesia refutatis: Sequitur, ut progrediamur ad examen controversiarum de officio Christi Sacerdotali, ad quod refertur controversia de Sacramento quæ sunt bona Ecclesie: Et verbum visibile, atq; invisibilis gratia visibilia signa, August. lib. 19. Cont. Fau. c. 16. Quod enim auribus per verbum annunciat, illud oculis quodammodo subjicitur.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.  
T H E S I S

1. Sacramenta sunt instituta nō à nudo homine, sed à Deo, cujus vox est verbum à Prophetis, & Apostolis, nobis præscriptum, & qui nobiscum in hac ipsa scriptura loquitur. Itaq; de his ipsis non nisi ex Scripturâ, & ipsorum sede propria est statuendum.
2. Est verò Sacramentum actio, seu administratio certa rei juxta divinam institutionem ad fidem in nobis generandam, & confirmandam.
3. Causa efficiens Sacramentorum principalis, atq; author est solus Deus. Is enim media gratiæ instituit, qui gratiam largitur. Cyprianus Serm. de ablut. pedum: Ipse summus Sacerdos sui est Sacramenti institutor, & author. Ambrosius lib. 4. de Sacram. c. 4. Tom. 4. p. 438. Autor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De Cælo ista Sacramenta venerunt: Consilium enim de Cælo est.
4. Dispensator igitur Principalis Sacramentorum est solus Deus;

Sss Sed

Sed non immediatè, verum mediatè ( exceptâ primâ Cœnâ Domini-  
câ quam ipse Christus immediatè suis discipulis dispensavit ) nimi-  
rum per suos Ministros: Illi enim sunt & dicuntur dispensatores my-  
steriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1. *συνεργῶντες* cooperantes Deo, 2. Cor. 6. v. 1.  
Et *συνεργοὶ θεοῦ* cooperarii Dei, 1. Cor. 3. v. 9. Atq; cōiuncta sunt officia,  
Evangelium docere, & Sacramenta administrare, *Matth. 28. vers. 19.*

5. In Sacramento autem initiationis extremus excipitur  
necessitatis casus. Ubi enim ordinarius minister haberi nequit, ex-  
traordinariè illud administratur etiam ab aliis Ecclesiæ membris.

6. Vita ministri non mutat vim Sacramenti, quæ referenda est  
ad authorem Deum. Et minister non suo, sed Dei nomine hîc agit. E-  
jus igitur intentio, dignitas, vel indignitas nihil addit, vel detrahit  
Sacramentorum efficaciam.

7. Dispensatio Sacramentalis consistit in *δόσει* & *λήψει* in admi-  
nistratione dispensantis, & acceptione Sacramentum usurpantis. V-  
trobiq; distinguimus inter rem & rei modū inter *δόσιν* & *λήψιν*, & in-  
ter *δόσεως* & *λήψεως* *τέλεον*, inter administrationem, & modum admi-  
nistrationis: Illa simpliciter est necessaria; hîc libertatem & interduum  
variationem admittit.

8. *Materia Sacramenti est res certa peculiari Dei verbo instituta,  
definita, & prescripta, & certo officio, atque usui destinata*, ut cir-  
cumcisio occupatur circa præputium amputandum; Pascha circa  
agnum ce. to ritu parandum, & manducandum, &c. vulgò di-  
citur, *in quolibet Sacramento esse rem terrestrem & cœlestem*. Res terre-  
stris est Elementum sive Symbolum externum: nonnulli nominant  
signum, figuram, & typum? Sed intelligunt signum non nudè  
*σημαντικόν* rei cœlestis absentis; Sed *ωραδοπικόν*, & *προσφερόμενον*, rei  
cœlestis præsentis, & Sacramentaliter Elemento unitæ. Sacramen-  
ta igitur sunt signa, sed conferentia & obsignantia. Vel ut explicat  
*Augustana Confess. Art. 13.* Signa testificantia de Dei erga nos gra-  
tia. Hoc sensu vocabulum *σημεία* Genesi. 17. vers. 11. usurpatum ex-  
plicat Apostolus per *σφραγίδα*, *Roman. 4. vers. 11.* Res igitur terre-  
stris in sacrâ Cœnâ est panis, & vinum; cœlestis est corpus, & sanguis  
Christi.

9. Requiritur igitur ad Sacramentum hæc duo: Verbum &  
Elementum. Augustinus de *catac. c. 3. tract. 80.* in Joh. Accedat ver-  
bum

bum ad Elementum, & fit Sacramentum. *Nomine verbi intelligitur primò institutio*, qua Elementum, quia percepit vocationem Dei, separatur ab usu communi, & destinatur usui Sacramentali. Irenæus lib. 4. c. 34. *Qui est à terra panis, inquit, percipiens vocationem, jam non est communis panis, sed Eucharistia ex duabus rebus constans.* Mutatio igitur Sacramentalis est symbolorum à communi usu ad usum mysticum, & sacrum translatio, & sanctificatio. Vocatio enim illa Dei significat sanctificationem, separationem & destinationem ad certum officium sive usum, qua Elementis gratia apponitur, natura verò, sive essentia non mutatur, ut loquitur Theodoretus. Itaque mutatio alia est substantialis, & alia Sacramentalis. Symbola in Sacramentis substantialiter non mutantur sed per Dei vocationem acquirunt novum officium, atque usum. Secundò, Evàngelii propria per Sacramentum applicanda & obsignanda promissio.

10. *Forma Sacramenti est actio peculiari Dei verbo determinata.* Vel est administratio, & dispensatio certæ rei institutionis cujusque Sacramenti verbis definita, ut circumcissionis amputatio præputii, agni paschalis mactatio, & assati manducatio; Baptismi hominis in aquam immersio, sive aspersio; Cœnæ Domini, cum pane benedicto corporis Christi manducatio, & cum vino benedicto sanguinis Christi bibitio. Hinc est regula: *Extra actionem divinitus institutam nihil habet rationem Sacramenti.* Et: *Sublatà actione nullum est Sacramentum.*

11. *Actiones sacramentales sunt vel preparatorie & ministeriales ipsi actioni principali inserviètes, ut in paschate agni segregatio, mactatio, & assatione; vel essentielles & principales, & ista quandoque est una, ut in Baptismo aspersio, quandoque sunt plures, ut in cœnâ benedictio, distributio, & manducatio.*

12. *Finis sacramentorum est vel principalis, vel minus principalis, & subordinatus.* Principalis est duplex: Prior est gratia Evàngelii propria de remissione peccatorum, justitiâ, & vitâ eternâ oblatio, exhibitio, & collatio. Sunt enim Sacramenta verbum visibile. Quicquid igitur cõvenit verbo, illud Sacramentis non est denegandum. Conferunt autem gratiâ non ex opere operato h. e. non quasi inhæreat virtus quædam supernaturalis, per quam sint causâ gratiæ, ut ignis est causâ caloris; Sed ex divinâ ordinatione Posterior est ejusdem gratiæ collata oblatio, & confirmatio, Rom. 4. v. 11.

13. *Secundarii, & minus principales fines enumerari possunt complures, ut quæ*

ta Christianorum, simulachra virtutum, præcipuè charitatis, quod sunt tessera, quibus Ecclesia una distinguitur ab alterâ; quod sint nervi publicorum congressuum; quod in illis Deo ad fidem & ad obedientiam obligemur, &c.

14. Quæ hoc loco disputant ex Scholasticis Pontificii de caractere, qui in Sacramentis imprimatur, sunt cerebri humani signa. *Damus characterem illum esse indelebilem*, quia nusquam est scriptus. Deleri nequeunt enim, quæ nusquam scripta leguntur.

## SENTENTIA PONTIFICIORUM

15. *Sacramentum est divina, & invisibilis gratia externum, & visibile signum, à Christo institutum, ut per id quisq; Dei gratiam accipiat, atque sanctificationem, vi ipsius Sacramenti*, Canisius in Ench. p. 105. Bellarmus lib. 1. de Sacra. c. 1.

16. Sacerdotes & Episcopi conficiunt Sacramenta, *Canisius pagin. 110.*

17. Ut Sacramenta sint efficacia requiritur omnino intentio administrantis, tum suscipientis, *Toletus lib. 2. c. 16. Bellarmus lib. 1. de sacram. c. 27.*

18. Conferunt gratiam, sed non nisi ex opere operato, *Concil. Trident. Sess. 7. Can. 8. Bellarmus lib. 2. de sacra. c. 1.*

19. Quamvis gratiam conferant, non tamen eandem obli-gnant, & confirmant, *Bellarminus lib. 1. de Sacram. c. 14.*

20. Sacramenta fidelium animis imprimunt characterem indelebilem, *Valentianus Disput. 3. quest. 4. Bellarmus lib. 2. cap. 18. Costerus in Aug. p. 51.*

## STATUS CONTROVERSIAE.

21. Disputatur igitur de Sacramenti definitione, & requisitis: De intentione administrantis: De efficacia Sacramentorum, nam eam conferant ex opere operato: De gratiæ collatiæ obli-gnatione, & confirmatione; De caractere indelebili.

22. *Questio prima: Vtrum Sacramentum sit signum an verò actus.*

23. *Resp. Sacramenti genus Pontificii constituunt signum, ut th. 15. ostendimus. Quamvis verò non diffiteamur Sacramentum dici posse signum, nimirum ratione finis, usus & officii, quia significat efficit, confert, & obli-gnat fide utentibus gratiam Evangelii propriam: Et*

am: Et respectu alterius partis in oculos non incurrentis: Negamus tamen proximum, & adæquatum genus Sacramenti esse signum.

24. Nam. 1. Usus & finis rei nequit esse proprium, proximum & adæquatum ejus genus. Aliud enim est res ipsa, & aliud rei usus. Atqui Sacramentum dicitur, & est signum respectu usus. Ergo. 2. Pars rei non est ipsius totius genus. At pars altera in oculos incurrens est signum cum parte alterâ in oculos non incurrente totum Sacramentum constituens. Ergo.

25. Est verò genus Sacramenti actio, & in actione essentia Sacramenti consistit. Nam i. colligitur id facile ex cujuslibet Sacramenti Institutione: De circumcissione dicit Jehova ad Abrahamum: *Circumcidetis carnem preputii*, Gen. 17. v. 11. De agno paschali: *Tollat unusquisq; agnum, & immolet, & edat carnes assigni, & azymos panes cum lactuca agrestibus*, Exod. 12. v. 3, 4, 5, 6, 7. De Baptismo dicit Christus: *Baptizate omnes gentes*, Matth. 28. v. 19. Et Apostolus Petrus: *Baptizetur unusquisq; vestrum*, Act. 2. v. 38. De Cœna Domini legimus Matth. 26. v. 26. Mar. 14. v. 22. Luc. 22. v. 17. 1. Cor. 11. v. 24. *Jesus accepit panem: Et cum egisset gratias, fregit, deditq; discipulis, & ait: Accipite, hoc est corpus meum.* Hinc colligimus, genus Sacramenti esse actionem, & formam ejus esse actionem seu dispensationem certæ rei peculiari Dei verbo determinatam, sicut institutio cujuslibet Sacramenti præscribit. In circumcissione erat *resectio pelliculæ*. In Agno paschali, *mactatio, assatio, & comestio*. In Baptismo, *immersio seu aspersio*, quæ fit aquâ: In Cœna Domini, *Distributio, manducatio, & bibitio*.

26. 2. Hinc est regula: *Extra actionem divinitus institutam nihil habet rationem Sacramenti. Et: Sublatâ actione nullum est Sacramentum.* 3. *A Scriptoribus Ecclesiasticis nominantur Sacramenta ritus, & ceremoniæ consistunt verò in Actionibus.*

27. Quæstio secunda: *Quanam sint partes Sacramenti?*

28. Resp. Partes Sacramenti sunt verbum, & Elementum. Augustinus Tract. 8. in Johan. dicit. *Accedat verbum ad Elementum, & fiet Sacramentum.* Nomine verò verbi intelligimus verbum expressè mandatum, cui annexa est gratiæ promissio. Elementum item intelligimus non quòdyis, sed ab authore ipso usurpatum, & ordinatum, in ipsos sensus naturâ tuâ incurrens. Ergo nisi sit in Novo Testamento institutum, certo verbo mandatum, & materiale, seu corporale.

rale, non erit Elementum, & signum Sacramentale.

27. Nititur assertio hæc ipso fundamento & sine Sacramentorum: Nam Sacramenta illud, quod in Evangelii verbo proponitur & docetur, externo elemento vestitum sensibus insuper ipsis exhibent, & ingerunt. Ergo verbum non sine elemento, nec elementum sine verbo constituit Sacramentum.

28. Errant igitur in utroq; Pontificii, (ut in specialibus pluribus est ostendendum) Nam appellatione verbi intelligunt suas etiam traditiones, & pro Elementis accipiunt verba.

29. Certè 1. non sunt confundenda ea, quæ omnium maximè in Sacramentis sunt distincta. 2. Augustinus non dixit, accedat verbum ad verbum, sed accedat verbum ad Elementum & fiet Sacramentum. 3. Christus non protulit verba duntaxat, sed materialia, ut aquam in Baptismo; Panem & vinum in sacra Eucharistia.

30. Quæstio secunda: Num à Sacerdotibus, & Episcopis Sacramentum confici possit.

31. Resp. 1. Author, & Institutor Sacramenti solus conficit Sacramentum. Atqui author ejus, & institutor non est homo, sed Deus & Jesus. Cyprianus sermon. de ablut. ped. Ipse Summus Sacerdos, inquit, sui est Sacramenti Institutor, & author. Ambrosius libr. 4. de Sacramen. cap. 4. Tom. 4. Author Sacramentorum quis est nisi Dominus Jesus? De cælo ista Sacramenta venerunt: Consilium enim omnia Cælo est. Ergo.

32. 2. Cujus est fidei Articulus condere, ejus est Sacramenta conficere, quippe quæ sunt verbum visibile. Atqui nullus puri hominis est fidei Articulus condere. Ergo. 3. Qui gratiam promittit, & largitur, ille gratiæ media, sigilla, & pignora, cujusmodi sunt Sacramenta, promissioni annectit, instituit, & conficit. Atqui gratiam promittit, & largitur non homo, sed Deus. Ergo.

33. 4. Dispensat quidem Deus Sacramenta per verbi Ministros, qui propterea dicuntur Mysteriorum Dei Dispensatores, 1. Corinth. 4. vers. 1. συνεργῶτες cooperantes Deo. 2. Corinth. 6. vers. 1. Et

Ἰεσοῦ θεοῦ Dei cooperarii, 1. Cor. 3. v. 9. Sed Sacramenta ipsa illi non conficiunt.

34. 5. Chrysoſtomus Homil. 52. in Matthæum Tom. 2. Operum, *credite, inquit, omnes, quia etiam nunc illa cœna celebratur, in qua CHRISTUS recumbebat: Nihil quippe interest inter hanc, & illam. Non enim hæc ab homine, illa ab ipſo conficitur: Sed hanc & illam ipſe efficit.*

35. Quare contumeliola est in authorem Deum assertio Canisii, quod Episcopi, & Sacerdotes conficiant Sacramenta.

36. Quæstio tertia: Num veritas, perfectio, integritas Sacramenti sit estimanda & suspendenda à Ministri intentione?

37. Resp. Concilium Tridentinum Sefs. 7. Canon. 11. *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, aut conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia anathema sit.* Toletus libro secundo cap. 16. In Ministro Sacramenta conferente, necessaria est intentio, quâ sine qui faceret nullum conferret Sacramentum. Nec opus est, quod intentio illa sit actualis: Sat enim est, quod sit virtualis, hoc est, quod dum accedit ad Sacramentum conferendum, accedat eo animo faciendi, quo facit Ecclesia, licet actu non cogitet, quando facit. Videatur etiam Bellarminus libro primo, de Sacramentis in genere, cap. 27.

38. Docent verò Protestantes, aliam esse quæstionem, si quærat, quid ad integritatem, & perfectionem Sacramenti sit necessarium, & aliam quid ad propriam Ministri requiratur personam. Ad hanc requiritur ut sit animo præsentem, attentum, & devoto in Sacramentorum administratione, ne ipse aliis administrans reprobus efficiatur; Sed si vel ex negligentia, vel ex malitia non sit intentus, integritati, perfectioni, & efficaciam Sacramentorum nihil decedit, modo institutionem CHRISTI, & substantialia requisita administret.

39. Nam

39. Nam 1. Quicquid pertinet ad Sacramenti perfectionem, illud aut est materia, aut forma, aut efficiens, aut finis. Intentio verò Ministri nihil horum est. Ergo. Quod non sit materia, aut forma, quæ ad essentialem atque internam requiruntur rationem; Neque; etiam finis, per se patet ex ipsa singulorum Sacramentorum institutione, ubi ne verbum quidem habetur de intentione. Neque potest esse efficiens, nisi ex errore Donatistarum, & nisi dicere velis ultra externum Ministerium aliquid amplius offerri à Ministro in Sacramento atque Sacramentum quadantenus pendere ab homine, & non à solo Deo.

40. 2. Intètio hæc evertit omnem certitudinem Sacramenti. Omnis enim homo est mendax, Psal. 116. v. 11. Rom. 3. v. 4. Ergo nunquam potero esse certus de Ministri intentione, si vel milles jurabit, & sic juramento intentionem illam confirmare velit. Ergo perpetuo homini erit dubitandum, utrum verò sit baptizatus nec ne, quia si Minister, non adhibuit debitam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, Baptismus, ut ipsi loquuntur, verus non est. Et ut verbis Bellarmini utamur: Vnde quæso constare nobis potest fuisse in Ministro intentionem virtuales, cum habitualis non sufficiat? Certe si efficacia Sacramenti ab intentione Ministri est suspendenda, perpetuis dubitationum fluctibus exponitur.

41. Excipit Bellarminus pag. 132. tripliciter. 1. Non debet homo in hoc mundo querere certitudinem, de sua salute, vel justificatione infallibilem, qualis est certitudo fidei divina. Hac enim non convenit huic statui. 2. Certitudo humanam, & moralem, quæ sufficiat ut homo quiescat, ex Sacramentis habemus, etiam si pendeant ab intentione alterius. Nam cum habere intentionem sit facilissimum, nulla est causa dubitandi, an Minister habuerit intentionem, nisi aliquo signo exteriori id probat. 3. Infantes cum adoleverint, non possunt recordari, nec scire an habuerint Baptismum, nisi credere velint parentibus. Itaque parentibus credunt, qui tamen decipere possunt, & in eo acquiescunt. Quando magis poterit acquiescere in Baptismo is, qui videt se baptizari, & intelligit verba, nec habet ullam conjecturam contrariæ intentionis Ministri; Si his acquiescit, qui tantum credit parentibus, vel amicis dicentibus, eum esse baptizatum.

42. Resp. 1. De certitudine remissionis peccatorum, & salutis in loco agemus de justificatione, interea dicimus, Sacramenta esse instituta, ut promissionem gratiæ credentibus obliquent, inde circum-

ciffo dicitur signaculum iustitiæ fidei, *Roman. 4. v. 11.* At certitudo hæc receptionis in fœdus gratiæ, quæ est finis institutionis Sacramentorū, plane tollitur, si Baptismi integritas pendere statuatur ab intentione Ministri: Ecquis n. certus esse poterit de debitâ intentione Ministri? 2. Simile à Bellarmino allatum admodum est dissimile, cū actio sit alia externa, & alia interna, & non eadem utriusq; ratio: Certè de interiori Ministri intentione nihil scire possumus: Quis n. hominū scit, quæ sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est, *1. Cor. 2. v. 11?* De externâ Ministri actione, utpote quod infans sit baptizatus, certus esse potest ex testificatione Ministri baptizantis, parentum, susceptorum, & astantium. In ore enim duorum, vel trium consistit omne verum, *Num. 35. v. 30. Deut. 19. v. 15. Matt. 18. v. 16. Heb. 10. v. 28.*

43. 3. *Argumentum petimus ab exemplo Zipporæ:* Hæc enim iracunda circumcisionem administrabat. Ergo debitam intentionem non habuit. At Moses neq; de integritate, neq; de fructu circumcisionis illius dubitabat. Et Deus factō ostendebat eam esse ratam, *Exod. 4. v. 25.*

44. 4. *A pari:* Si integritas Sacramenti pendet à mentali intentione Ministri, pendebit ab eadem prædicatio verbi: Quia secundum Augustinum Sacramentum est visibile verbum. At posterius est falsum: Evangelium enim est efficax, quâcunq; intentione annunciat, *Phil. 1. v. 18.* Quo vis modo, sive per occasionem, sive per veritatem Christus tamen annunciat. Vel: Intentio Ministri ad verbi prædicationem necessariò non pertinet, *Matth. 23. v. 2. 3.* In cathedra Moïsis sedent scribæ, & Pharisei. Omnia ergo quæcunq; iusserint vos servare, servate, & facite: Secundum opera verò eorum nolite facere, dicunt enim, & non faciunt. Ergo nec ea pertinent ad integritatem Sacramenti.

45. 5. *Ab absurdo:* Si enim intentio hæc abesset, veritas Dei, ac fides in Sacramentis evacuaretur. At incredulitas hominum veritatem, ac fidem Dei non potest reddere irritam, *Rom. 3. v. 3.* Intentio igitur Ministri non necessariò requiritur ad integritatem Sacramenti.

46. 6. *Ab indignitate Ministri:* Indignitas enim & improbitas Ministri nihil derogat integritati, & fructui Sacramenti, nec eum labefaciat. Ergo nec ipsi derogat aliquid, si Minister non intendat, sive non intentio, quæ est aliquis nævus in Ministro. Quod enim valet de genere, idem etiam valet de specie. Et intentio Ministri, quæ essentia

Baptismi contrariatur, ut si occultè hæresin Arianam, & Photinianam alar, non labefactat integritatem, & fructum Sacramenti. Ergo defectus intentionis eandem multò minus tollit. De antecedente dicit *Augustinus lib. 3. contra Donatistas cap. 15. Si Evangelicis verbis in nomine Patris & Filii, & Spiritus S. Marcion Baptismum consecrabat, integrum erat Sacramentum, quamvis ejus fides sub ejusdem verbis aliud opinantis quam catholica veritas docet, non esse integra, sed fabulosis falsitatibus inquinata.*

47. 7. *Ab intentione suscipientis.* Essentia Sacramentorum consistit in actione, ut quæst. 1. ostendimus. Complectitur verò  $\delta\delta\omega\mu$  &  $\lambda\eta\psi\mu$ , Si igitur ad integritatem Sacramenti requiritur intentio administrantis, requiritur ad eandem intentio suscipientis. Falsum autem est consequens; Sequeretur enim inde infantes, cum non afferant intentionem, non esse baptizandos. Ergo & antecedens. Falsa est idem assertio Toleti in parvulis Ecclesiam supplere intentionem illorum. Justus non aliena sed suâ fide vivit, Hab. 2.

48. 8. *Ab origine salutis.* Dependet enim hæc à solo Deo, qui justificat impium. *Chrysostomus Hom. 85. in Johan. Deus, inquit, omnia facit; Sacerdos linguam, & manus præbet, neq. enim justum est propter alius malitiam ad salutem nostram accedentes offendi.* At si integritas & efficacia Sacramenti dependet ab intentione Ministri, salus hominum penderet ab impii ministri arbitrio. At absurdum est consequens. Ergo & antecedens.

49. Quare verè dicit Nazianzenus. Quemadmodum eadem in cerâ apparet figura, sive aureo, sive ferreo annulo facta sit. Sic Sacramenta Ministrorum vel pietate, vel impietate non permutantur.

50. *Quæstio quarta: Num Sacramenta conferant gratiam ex opere operato, seu ex vi actionis Sacramentalis?*

51. *Resp. Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 8. Si quis dixerit per ipsa novæ legis ex opere operato, non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. Toletus in lib. de casibus conscient. cap. 16. Omnia, inquit, Sacramenta conferant gratiam debitè accedentibus, & suscipientibus, & hoc ex opere operato, id est, ex vi ipsius Sacramenti. Attende tamen, quod duplex est gratia, prima, & secunda. Prima est, quæ datur homini, qui fuit in peccato, vel non erat Dei amicus. Gratia secunda est, quæ datur jam existenti in gratia. Sacramenta igitur dant gratiam habenti, & sic conferunt gratiam secundam. Osorius Contione 2. de renovat. vet. hom.*

Tom. 4. Sacramenta augent gratiam non solum pro dispositione suscipientis, sed etiam vi Sacramenti. *Scholastici Doctores* opinabantur gratiam divinam ita contineri in Sacramentis, sicut Nardanum in Alabaistro, live ut qualitatem aliquam divinitus Elementis inditam & absolute in eis hærentem, per quam Sacramentum influens, & agens in animam, gratiam justificationis efficiat. *Bellarmin. lib. 2. de Sacram. in Gen. cap. 1.* Scholasticorum Doctorum & Pontificorum opinionem de opere operato speciosè quidem pingit, sed ad idem relabitur principium, & sine adversario debacchatur: Ipse n. fatetur Paludanum peculiarè sententiã hanc de re fovisse, & Scholasticos varia disputasse, sed ea non pertinere ad fidem; Sed interim Bellarminus retinet istam sententiam Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, atq; sic illud exponit, ex vi ipsius sacramentalis actionis conferre gratiam à Deo ad hoc institutæ non ex merito agentis, vel suscipientis. Vocat igitur opus operatum passivè externam illam actionem sacramenti, & opponit hæc duo opus operatum, & opus operantis. Et postea subjicit, opus operatum non solum excludere dignitatem Ministri, sed etiam fidem.

52. Impium igitur hoc & absurdum Scholasticorum dogma somniantium, Sacramenta conferre gratiam ex opere operato sine fide, ex vi ipsius actionis sacramentalis, planè abominamur, & sequentibus argumentis refutamus 1. à *Relatis* Nullum relatum est absq; suo correlato. Atqui fides est gratiæ correlatum: Nam fides seu fidele cor est quasi manus apprehendens divinas promissiones, quæ in Sacramentis offeruntur. Ergo non confertur gratia sacramentalis fide destitutis.

53. 2. *Ab aperta Scripturâ*: Hæc enim ad efficaciam, & salutarem Sacramentorum usum requirit fidem. Ergo secundum Scripturam, quæ est vox Spiritus S. Sacramenta non profunt ex opere operato sine fide. Antecedentis veritas patet ex illis Scripturæ testimoniis, quæ explicitè docent, si quis particeps fieri velit fructus Sacramentorum, requiri fidem. Ut *Mar. 16. versic. 15.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus eris, qui verò non crediderit, condemnabitur. *Act. 8. versic. 36.* Dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid vetat, quo minus baptizer. *vers. 37.* Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Respondens vero dixit: Credo Filium Dei esse Jesum Christum. Urget exemplum hoc *B. Lutherus super cap. 4. Gen. Nôstra doctrina caput est, inquiens, Sacramenta*

operari gratiam sine fide. Nam Eunuchus in Actis ad Philippum dicens: Ecce aqua, quid prohibet, me baptizari? Audit: Si credis ex toto corde, licet. Non vult enim baptizare nisi credat: non dicit: Baptismus prodest tibi, & justificat te, sive credas, sive non. Huc pertinent etiam Scripturæ testimonia, quæ implicitè fidem requirunt, ut Act. 2. v. 38. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus S. At pœnitentia non est absq; fide, qua contritionem quasi animat. Act. 22. v. 16. Baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Domini Jesu. At vera oratio ex fide debet proficisci, Rom. 10. v. 14. I. Cor. II. v. 29. Qui edit, & bibit indignè, judiciû sibi mâducat.

54. 3. A causis justificationis: Sine quo non justificamur, sine illo non profunt Sacramenta. Atqui non justificamur absque fide, Hab. 2. 4. Rom. 1. v. 17. Heb. 10. v. 38. Rom. 4. v. 3. II. cap. 10. v. 10. Ergo non sine fide profunt Sacramenta.

55. 4. Ab exemplo Abrahami: Huic enim Circumcisio non ex opere operato contulit fidem, sed fidem ipsi in præputio collatam obligavit. Sacramenta igitur sunt quidem media fidei excitandæ, confirmandæ, & obfignandæ; Sed ex opere operato gratiam non conferunt, & sine fide non profunt. Antecedens legitur, Rom. 4. vers. 10. 11. Quomodo imputata est Abrahamæ fides ad justitiam, cum esset in circumcisio, an in præputio? non in circumcisio, sed in præputio. Et signum accepit circumcisionis signaculum justitiæ fidei, quæ fuerat in præputio.

56. 5. A pronuntiatis Apostolicis: Quicquid non est ex fide peccatum est, Rom. 14. v. 24. Et sine fide Deo placere, impossibile est, Heb. 11. v. 6. Opus igitur illud operatum, quod fingunt Scholastici, & de quo multis fabulantur Pontificii, fide destitutum displicet Deo.

57. 6. A verbo promissionis Sacramentis annexo: Sacramenta conferunt gratiam, quia annexum habent verbum promissionis certis ritibus vestitum, in hoc fides gratiam Dei, & remissionem peccatorum quærit, & apprehendit Ergo nō conferunt gratiam ex opere operato sine fide utentis. Antecedens legitur, Eph. 5. v. 26. Christus mûdat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo. Tit. 3. v. 5. 6. Baptizare, & ablue peccata tua invocato nomine Domini Jesu. Ex misericordiâ suâ nos salvavit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus S. Quem effudit in nos opulenter per Jesum Christum salvatorem nostrum. Est igitur Baptismus

Baptismus lavacrum regenerationis, quia non est simpliciter aqua, sed aqua cum verbo Dei conjuncta, in quo fides apprehendit gratiam patris, meritum Filii, & efficaciam Spiritus S. & quia est lavacrum Spiritus Sancti. Apostolus Petrus 1. Epist. 3. v. 21. dicit: Baptisma nos salvos facit, & est stipulatio bonæ conscientiae erga Deum per resurrectionem Christi.

58. 7. *A promissione*: Hæc enim continetur in Sacramentis. At omnis promissio fide est apprehendenda, sine qua non prodest quicquam. Ergo Sacramenta fide destitutis nullam gratiam ex opere operato conferunt. B. Lutherus in lib. de captiv. Baby. cap. de Bap. *Vbi-cumq; est promissio divina, ibi requiritur fides.* Et, Participatio cœlestium donorum fit fide. In usu verò salutari Sacramentorum fit participatio cœlestium donorum. Ergo.

59. Quare piè scribit Augustinus lib. 3. Quæst. super Levit. quæst. 84. *Moses sanctificabat visibilibus Sacramentis per Ministerium suum: Dominus autem invisibili gratiâ per Spiritum S. ubi est totus fructus visibilium Sacramentorum. Nam sine illâ sanctificatione invisibilis gratiæ, visibilia Sacramenta quid profunt?* Et Paulò post: Proinde colligitur, invisibilem sanctificationem quibusdam affuisse, atque profuisse sine visibilibus Sacramentis: visibilem verò sanctificationem, qua fuerit per visibilia Sacramenta, sine ista invisibili posse adesse, non posse prodesse. Gregorius in Ezech. *Nobis per fidem, inquit omnia in Baptismate peccata laxantur* Bonaventura scribit: *Propriè loquendo gratia nō inest Sacramētis essentialiter; Sed ministerialiter, & instrumentaliter.*

60. Bellarminus quidē laboriosè plurima colligit argumenta, quibus propositam hanc sententiam conatur expugnare; Sed nullum attingit statum controversiæ. Nam 1. Non opponimus fidem Sacramentis, sed fidem & sacramenta conjungimus tanquam relatè se habentia: Sacramenta enim offerunt justitiam & gratiam, quam fides apprehendit: Utraque igitur sunt causæ instrumentales. Sacramentum instrumentum offerens, tanquam manus divina; Fides instrumentum recipiens. Justificant igitur & Sacramenta, & fides instrumentaliter, hoc est, *Deus nos justificat offerendo per Sacramenta justitiam manu fidei apprehendam.* 2. Sacramenta non sunt nuda signa sed signa offerentia & conferentia, quia offerunt, & conferunt gratiam. 3. Quæ magno numero adducit Bellarminus testimonia, illa non agunt de fictitio illo opere operato; Sed de Sacramentorum effi-

caciâ, utpote, quod sint causæ instrumentales salutis, idq; omnino nos docemus. Quæstio n. non est, an Sacramenta gratiam offerant, & conferant; Sed num eam conferant ex opere operato absq; fide, si modò obex non ponatur.

61. *At inquis, Lutherus scribit in asser. Art. 1. Non Baptismus, sed fides Baptismi salvat. Baptismo igitur efficaciam derogat.*

62. *Resp. Quod dicitur secundum quid, non est absolute accipiendum: Mens B. Lutheri est Baptismus salvare non sine fide. Ibidem n. subjicit: Necessaria est fides suscepturo Sacramentû, quâ credat, se consecuturû id, quod Sacramentum promittit, & donat, ut sic verum sit, quod dicitur. Non Sacramentum, sed fides Sacramenti justificat. Cum enim in omni Sacramento sit verbum Dei, ut dicit D. Augustinus, accedit verbum ad Elementum, & fit Sacramentum. Ubicunq; a. verbum Dei est, ibi fides hominis in ipsum requiritur. Et in Catechismo dicit: Baptismus operatur remissionem peccatorum liberat à morte, & Diabolo, ac donat æternam salutem omnibus hoc credentibus, ut verba, & promissiones Dei tonant.*

63. *Quæstio quinta: An Sacramenta promissionem gratiæ divinæ credentibus exhibitam obsignant, & confirmant?*

64. *Resp. Causa finalis Sacramentorum est duplex. Prior est, ut Sacramenta sint organa, media, sive instrumenta offerentia, & exhibentia promissionem Evangelii propriam de Remissione peccatorum, justitiâ, & vitâ æternâ. Posterior est, ut sint *σφραγίδες*, obligationes, signacula, testimonia, atque pignora divinæ erga nos benevolentia. De priori fine alibi egimus; Posteriorem, quem oppugnant Pontificii ostendimus & probamus primò à natura sigilli: Nam sigilli proprium est testificari, obsignare, & confirmare id, cui appenditur. Jam verò Sacramenta sunt sigilla promissionum divinarum, Rom. 4. v. 11. Signum accepit circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ fuerat in præputio. Ergo.*

65. *Excapit Bellarminus lib. 1. cap. 17. de Sacram. tripliciter: 1. Quæ de solâ circumcissione, inquit pag. 60. dicuntur, non possunt trahi rectè ad omnia Sacramenta. Rectè enim argumentamur à genere ad speciem non contra. 2. Apostolus nullam facit mentionem promissionis, aut pacti, cum loquitur de sigillo circumcissionis: Vocat enim eam sigillum justitiæ fidei, non sigillum promissionis, & pacti. 3. Deniq; addit, fuisse hoc privilegium solius Abrahami, & non posse trans-*

transferri ad alios, & negat diserte reliquis Judæis, & fidelibus circumcisionem fuisse & sigillum Justitiæ fidei.

66. Resp. 1. Confunditur causa formalis cum efficiente & finali: Quæ dicuntur de causâ formali non competunt omnibus Sacramentis. At quæ dicuntur de causa efficiente, & finali genericâ, omnibus Sacramentis competunt. Conveniunt verò omnia Sacramenta causa efficiente, quia à solo Deo, qui ipsis gratiam tribuit sunt instituta: Conveniunt & in causâ finali genericâ. Quod circumcisio sit signaculum justitiæ fidei, illud ad finem circumcisionis pertinet. Ergo ad reliqua etiam sacramenta referri potest.

67. 2. Chrylostomus & Theophylactus scribunt, circumcisionem datam fuisse Abrahamæ in signum, & testimonium Justitiæ, quâ per fidem acquisierat. Si itaq; est testimonium, utiq; testificatur, & confirmat. At quid testificatur, nisi promissionem gratiæ Divinæ igitur promissio, & justitiæ fidei habent se ut relata: Promissio enim respicit fidem, absque qua nemini prodest; Et fides divinâ promissione nititur.

68. 3. Exceptionem Bellarmini tertiam vel inspectio textus refutat: Nam ad quos pertinet promissio Abrahamo Patri credentium facta, ad illos etiam spectat illius promissionis sigillum. At ad omnes fideles pertinet promissio Abrahamo Patri omnium credentium facta. *Genes. 17. vers. 7.* Ergo ad eosdem, & non ad solum Abrahamum spectat illius promissionis sigillum. Item illud, in quo Abraham proponitur Pater omnium credentiû, & exemplar Justificationis non potest ad solum Abrahamum referri. Tale autem est obsignatio fidei per ordinarium Sacramentum facta. Ergo. Præterea ordinaria Sacramenta non uni, aut alteri homini, sed toti Ecclesiæ sunt instituta. Ratio igitur & promissio eorum una & eadem est respectu omnium, & singulorum credentium. Non alia igitur fuit Circumcisio in Abrahamo, nec alia justitiæ fidei, neque alia ejus definitio, aut finis, quam in reliquis Judæis credentibus. Deniq; ipse effectus ostendit. Circumcisionem esse Promissionis divinæ sigillum. Nam Judæi in periculis ex circumcissione suâ efficaces petierunt consolationes, ut patet ex sermone Davidis de Goliatho. *1. Sam. 17. v. 26. & 39.* Quis est Philistæus incircūcisus iste? Et Jonathæ, *1. Sam. 14. v. 6.* Age transeamus ad præfidiû incircūcisorû istorû forte faciet salutem Jehovah per nos.

69. Regerit Bellarm. pag. 61. tria 1. Paulus hæc duo conjungit, eum ait: *Accepit signum circumcissionis, signaculum justitiae fidei, ut sit Pater omnium credentium. Non igitur habent signaculū justitiae fidei omnes circumcisi, cum nō omnes sint Patres omnium fidelium.* 2. Paulus distinguit signum à signaculo, seu sigillo. 3. Scriptura circumcissionem nusquam vocat sigillum nisi hoc loco.

70. Resp. 1. Cur non idem concludit Bellarminus de signo circumcissionis? Imò invertimus argumentum: Nam Abraham, ut exemplar Justificationis & pater omnium credentium proponitur in eo, quod justitia fidei fuerit ob signata. Referri igitur hæc non debet ad solum Abrahamum. 2. Vocabulum signaculi est vocabuli signi explicatio. 3. Sufficiat, quod Apostolus omnibus gentibus adscribat id, quod tribuitur Abrahamo.

71. Secundò à testimonio Petri, 1. Epist. cap. 3. v. 21. *Cui nunc correspondens Baptismus tanquam exemplar Baptismus, nos quoque servat, non quo carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia Deum interroget per resurrectionem Jesu Christi. Baptismus est interrogatio & stipulatio bonæ conscientiae ad Deum ἐπερωτησάμενοι τὸν Θεόν.* Ergo est sigillum divinae erga nos voluntatis, unde fides confirmatur.

72. 3. Ex 1. Joh. 5. vers. 8. *Tres sunt, qui testificantur in terrâ, Spiritus, aqua, & sanguis. Et hi tres unum sunt ex loco hoc ita colligimus: Si testificatur aqua Baptismi in terrâ, & sanguis cœnæ dominicæ de divinâ promissione, & beneficiis Christi Jesu; sequitur, quod ob signet, & confirmet gratiam collatam. At verum prius. Ergo & posterius.*

Hæc de Sacramentis in genere dicta sufficiant. De characterē indelebili suis agemus locis.

Finis Disputationis XXVI.



## DISPUTATIO XXVII.

QUÆ EST

## DE BAPTISMO

Prior

Resp. Johanne Polemanno Mindâ Westphalo

## T H E S I S I.



ANTUM de Sacramentis in genere, de quibus sequitur ut in specie agamus, & eorum numerum, naturam & efficaciam ex scriptura consideremus.

## SENTENTIA PROTESTANTIUM

2. Sunt verò duo N. Testamenti Sacramenta propriè, & exquisitè ita dicta: Baptismus, & Cœna Domini. His enim duobus tantùm competunt requisita Sacramentorum propriè ita dictorum, ut sunt: Externum elementum ab ipso Christo in N. Testamento institutum, & promissio gratiæ ad remissionem peccatorum applicandam, & obsignandam.

3. Baptismus est lavacrum aquæ, Eph. 5. v. 26. in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. Matt. 28. v. 19. ad hominem regenerandum, & renovandum per Spiritum S. Tit. 3. v. 6.

4. Dicitur Baptismus από τῆ βαπτίζεν ab immergendo, & aspergendo, non tamen propterea necessariò importat immersionis modum: Nam Apostolus τὸ βαπτίζεν explicat per lavare, & mundare, Eph. 5. v. 26. Tit. 3. v. 6. De Pharisæis dicitur, Mar. 7. v. 4. A foro videntes nisi baptizentur, non comedunt.

5. Genus Baptismi est: Lavacrum aquæ, vel, quod eodem recidit, in aquam immersio: Est enim omne Sacramentum actio. Ergo & Baptismus

6. Causa efficiens, & primus author Baptismi est ipse Deus, ut & reliquorum omnium Sacramentorum. Johannes Baptista primò quidem baptizavit, sed non propriâ autoritate, Joh. 1. v. 23. Sed iussu

à Deo, *Luc. 3. v. 2. Johan. 1. v. 33.* Unde Baptismus ejus dicitur de Cælo, *Matth. 21. v. 25.* Et Pharisei renuentes baptizari ab ipso spreverunt adversus semetipsos Consilium Dei, *Luc. 7. v. 30.* Baptizabat enim ipse in remissionem peccatorum *Mar. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3.* Remissio verò peccatorum non est ab homine, sed à solo Deo, *Mich. 7. v. 18. Psal. 36. v. 8. Psal. 103. v. 3. Exod. 3. v. 7. Job. 24. v. 4. Esa. 43. v. 25. Mar. 2. v. 7.*

7. *Causa ministerialis* Baptismi sunt ordinariè Ecclesiæ ministri, iiq̄ue modo legitimo vocati, à quorum qualitate virtus ejus non dependet, sed à Dei instituentis potentia, & virtute: Hominum enim incredulitas fidem Dei non evacuat. *Rom. 3. v. 3.* Phariseorum igitur circumcisio fuit vera, & rata, etiam si ipsi essent corruptissimi. In summo verò necessitatis casu administrari Baptismus potest ab homine privato in Christianâ religione rectè informato, qui in casu necessitatis, possunt docere, atque sic etiam baptizare, *Matt. 28. v. 19.*

8. *Materia Baptismi est res terrena, & cœlestis.* Res terrena est aqua non factitia, & medicata, sed naturalis, vera fluminum & maris, *Johan. 3. v. 5.* legimus: *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ, & spiritu non potest introire in regnum Dei.* Aquâ Jordanis usus est Jahannes Baptista, *Joh. 1. v. 33. Matth. 3. v. 16. Luc. 3. versic. 11.* Apostolus Paulus Baptismum nominat lavacrum aquæ, *Eph. 5. v. 26.* Aquâ igitur baptizavit domum Stephanæ, *1. Corinth. 1. v. 6.* Ut & Philippus baptizavit aquâ, *Actuum 8. versic. 38.*

9. Rem cœlestem quidam dicunt esse sanguinem Christi, et *1. Joh. 1. versic. 7. Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato.* Nonnulli Spiritum S. ex *Joh. 3. v. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest ingredi in regnum cœlorum* Et ex *1. Cor. 12. vers. 13. 2. Corinth. 1. v. 22.* Alii sanguinem Christi, & Spiritum S. conjunctim. Nonnulli verbum juxta illud *Eph. 5. Mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo.* Sed quoniam Baptismus est opus ad extra, ideò hic valet regula: Opera Trinitatis ad extra sunt communia: Pars igitur cœlestis est tota Trinitas, ut & in verbis Institutionis docetur.

10. *Forma Baptismi exprimitur, Matt. 28. v. 19. Baptizate eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus S.*

11. *Finem, usum & fructum* Baptismi compendiosè proponit in Catechismo suo B. Lutherus: Nam *1. Operatur remissionem peccatorum, Mar. 1. v. 4. Luc. 3. v. 3.* fuit in deserto Johannes baptizans, & prædicans Baptismum

Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. *Act. 2. v. 38.* Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum. 2. *Liberat à morte, & Diabolo*: Stipendium enim peccati mors est, *Rom. 6. v. 23.* Ubi igitur est peccatorum remissio, ibi nec mors est, nec Diabolus, qui mortis habet imperium, *Heb. 2. v. 15. 3.* Donat æternam beatitudinem, *Johan. 3. v. 5. Mar. 16. v. 16. Job. 3. vers. 5. Tit. 3. v. 5. 1. Pet. 3. v. 21.* Breviter: Finis Baptismi est hominis baptizati regeneratio, & renovatio.

12. *Objectum Baptismi sunt homines, & quidem vivi.* *Matt. 28. Mar. 16. Joh. 3. Tit. 3.*

13. Infantes in Baptismo verâ, & salvificâ fide donari, adeoque reverâ credere docetur *Matt. 18. v. 6. Mar. 9. vers. 42. cap. 10. vers. 13. Luc. 18. vers. 15.*

14. Tollit Baptismus peccatum non quidem ut non sit, sed ut non imputetur. Fatetur enim Apostolus *Rom. 8.* quod in carni suâ non habitet bonum.

## SENTENTIA PONTIFICIORUM

15. Unusquisque pro se Christianus, primùm animo bene obfirmato, credere debet cum Ecclesiâ catholicâ septem esse Sacramenta non tria, aut unum tantùm *Eckius Tom. 4. Homil. pag. 22.*

16. Si quis dixerit in Ecclesiâ Romanâ, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam, anathema sit, *Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 3.*

17. Martyrium rectè dicitur, & est quoddam baptisma, atque peccata remittit, *Bellarminus.*

18. Si quis dixerit, Baptismum Johannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi anathema sit, *Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 1. Bellarminus cap. 21.* Itaque post Baptismum Johannis necessariò percipiendus erat Baptismus Christi, *Bellarminus cap. 22.*

19. Infantes non habent quidem fidem actualem, nec tamen omni carent fide, sed credunt fide alienâ Ecclesiæ, & susceptorum, atque habitu fidei, quem in ipso Baptismi actu adipiscuntur. *Bellarminus cap. 10. 11.*

20. Tollit Baptismus re ipsa id omne, quod habet rationem peccati, *Bellarminus cap. 13. Canisius p. 106.*

21. Efficacia verò ejus non extendit se ad futurum, sed tantum ad

tum ad præteritum. Bellarminus dicit: *Effectus Baptismi est remissio peccatorum præteritorum.* Idem: *Nullus est scriptura locus, quo probari possit, Baptismo deleri peccata futura, aut etiam præsentia, id est, quæ in præsentia committimus nos, qui jam dudum baptizati sumus, quæ quidem respectu Baptismi futura dici possunt.*

22. Imprimis Baptismus animæ indelebilem characterem, ob quem non est iterandus, Bellarminus de *Sacramentis in genere cap. 18. Et de Baptismo cap. 12.*

#### STATUS CONTROVERSIÆ

23. Disputatur igitur inter Protestantes, & Pontificios de numero sacramentorum: De differentiâ Baptismi Johannis & Christi: de fide infantum: Et de efficaciâ Baptismi. Seu disputatur de Baptismi administratore, subjecto & efficaciâ.

24. Quæstio prima: *An septem sint N. Testamenti Sacramenta ex-quisitè, & propriè ita dicta?*

25. Resp. Concilii Tridentini decretum de *Sacramentis in genere Can. 1.* hoc est: *Si quis dixerit, Sacramenta nova legis non fuisse omnia à Jesu Christo Domino nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè Sacramentum, anathema sit.* Bellarminus lib. 2. de *Sacram. Sententia Catholicorum, inquit, una est, ac semper sit, septem esse propriè dicta Sacramenta.*

26. Protestantes verò in Apologiâ Augustanæ Confess. An. 13. profitentur, & dicunt: *Nos sentimus præstandum esse, ne negligantur res, & ceremonia in scripturis instituta, quotcunque sunt. Nec multum refert putamus, etiam si docendi causa alii numerant aliter, si tamen rectè conseruent res in scripturâ traditas.*

27. Quare docent. 1. non esse odiosas, & inutiles disputationes instituendas de vocabulis. 2. Non esse tamen per appellationem, & numerum Sacramentorum res ipsas confundendas. *Insidiosè sub specie vocabulorum queritur conciliatio, quæ cum ipsarum rerum depravatione est conjuncta.* 3. Distinguendum esse inter promissionem gratiæ, quæ redemptionis beneficia in Evangelio promissa offert, & confert solo Dei verbo; & inter eandem ritibus, & ceremoniis divinitus in verbo institutis vestitam. 4. Distinguendum itidem esse mōnent inter ritus, qui

qui habent expressum quidem Dei mandatum & promissionem, sed non illam, quæ N. Testamenti est propria, nimirum de applicatione, & oblatione gratiæ cum Deo reconciliationis. 5. Ut accurate ostendi possit, quæ sint Sacramenta propriè ita dicta N. Testamenti, attendendum esse ad requisita Baptismi, & Sacræ Cœnæ: Nam omnium Confessione hæc propriè, & verè sunt Sacramenta.

28. His præmissis ita argumentamur 1. à definitione, & requisitis Sacramentorum Baptismi & Cœnæ Domini. Quicquid non habet externum aliquod visibile, & materiale elementum ab ipso Christo in N. Testamento institutum, cui sit annexa promissio gratiæ de gratiâ remissione peccatorum applicandâ, & oblationandâ, illud non est Sacramentum N. Testamenti propriè ita dictum. Atqui confirmatio, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, & extrema Unctio non habent externum aliquod visibile & materiale elementum ab ipso Christo in Novo Testamento institutum, cui promissio illa gratiæ sit annexa. Ergo.

29. Minorem de singulis in specie confirmabimus, Majorem ex consideratione Baptismi & Cœnæ Dominicæ accuratè ostendit Dn. Chemnitius. Nam ut aliquid sit verè, & propriè Sacramentum N. Testamenti, sicut est Baptismus & Eucharistia, requiritur, 1. ut habeat externum aliquod materiale, corporale, & visibile elementum seu signum, quod certo ritu tractetur, exhibeatur, & usurpetur. 2. Ut elementum illud, & certus ejus ritus nitatur expresso divino mandato. 3. Ut sit institutum, & mandatum in Novo Testamento. 4. Ut sit institutum ad consummationem usque seculi. 5. Ut ipsi sit annexa promissio divina de gratiâ, effectu, seu fructu Sacramenti. 6. Proinde habere debet testimonium non simpliciter, nudè, & per se in verbo Dei, sed ordinatione divinâ debet esse annexa signo Sacramenti, quo quasi est vestita. 7. Requiritur, ut sit promissio non de quibusvis beneficiis sive corporalibus, sive spiritualibus, sed de toto beneficio redemptionis. 8. Et illa promissio non tantùm debet significari, vel annunciari, sed virtute, & ordinatione divinâ offerri, exhiberi, applicari, & oblationari, etiam singulis verè fide Sacramentis utentibus.

30. 2. A numero testium in terris, 1. Joh. 5. versic. 8. Tres sunt, qui testificantur in terra, spiritus, aqua, & sanguis. Appellatione Spiritus notatur

tatur ministerium Evangelicum, quod est ministerium Spiritus, 2 Cor. 3. v. 8. Appellatione aqua Baptismus: Et appellatione sanguinis *Κυβενδοχικῶς* Cœna Dominica. Aut igitur sunt plures testes tribus, aut tantum sunt duo Sacramenta. At non sunt plures testes tribus affirmante Apostolo. Ergo sunt duo tantum Sacramenta N. Testamenti. Disjunctum patet: Quia omne Sacramentum est divinum testimonium: Unde tot erunt testes, quot sunt Sacramenta, nimirum si addas testimonium Spiritus in Ministerio Evangelii.

31. Ex ejusdem capituli vers. 5. Christus venit per aquam, & sanguinem. Et ex historia passionis, Job. 19. ver. 14. Quidam ex militibus latus Christi fodit, & statim exivit aqua, & sanguis. Hinc enim collegerunt Ecclesiastici Scriptores, & nonnulli pii patres, Sacramenta N. Testamenti fluxisse ex Christi latere, nempe Baptismum, & Cœnam Domini, idque fatetur Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 27.

32. 4. A numero Sacramentorum V. Testamenti: Nam Sacramenta N. Testamenti correspondent Sacramentis V. Testamenti. Atqui hujus tantum fuerunt duo proprie ita dicta. Ergo.

33. 5. A consensu priorum Patrum: Nam Isidorus, qui vixit circa annum Christi sexcentimum duo tantum agnoscit Sacramenta lib. 6. cap. 19. Paschasius duo etiam tantum statuit circa annum Christi nongentesimum. Rupertus, qui claruit circa annum Christi millesimum centesimum vigesimum quartum duo tantum profiteretur lib. 1. cap. 11. Idem statuit ex Scriptoribus Ecclesiasticis Alexander Alensis par. 4. quæst. 8. art. 2.

34. 5. A primis septenarii hujus numeri inventoribus: Septenarium Sacramentorum numerum non tradit Scriptura. Ignorant igitur eum pii patres. In Ecclesiam est inuenta tempore primùm Hugonis, & Lombardi, qui quidem reliqua sua probat ex patribus: Sed lib. 4. distin. 2. nullius patris adducit testimonium. Destituitur igitur auctoritate scripturæ, & nititur invento tantum humano.

35. 6. A ridiculis fundamentis, quibus septenarius ille numerus est receptus: Sunt enim illæ planè ineptæ & futiles. Lombardus loco allegato dicit: Sacramentorum alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adjuvicem conferunt, ut Baptismus: alia remedium tantum sunt, ut conjugium: alia gratia, & virtute nos salciunt, ut Eucharistia, & ordo. Compendium Theologiae has narrat rationes: Septem sunt sacramenta secundum

cundum septem diversitates hominum in Ecclesia, primum est intrantium, ut Baptismus: secundum pugnantium, ut confirmatio: Tertium, vires resumentium, ut Eucharistia: Quartum, resurgentium, ut poenitentia: Quintum, exeuntium, ut extrema unctio: Sextum, ministrantium, ut ordo: Septimum novos milites introducentium, ut matrimonium. Item: Sacramenta disponunt ad septem virtutes habendas. Ergo sunt septem. Nam Baptismus est sacramentum fidei: Confirmatio spei: Eucharistia, Charitatis: Poenitentia, justitia: Extrema unctio, perseverantia, seu fortitudinis: Ordo, Prudentia: Matrimonium, temperantia: Item: Sacramenta ordinantur contra septem morbos spirituales, scilicet triplicem culpam, & quadruplicem poenam. Ergo numero sunt septem. Nam Baptismus ordinatur contra peccatum originale: Poenitentia contra morale: Extrema unctio contra veniale: Ordo contra ignorantiam: Eucharistia contra malitiam: Confirmatio contra impotentiam: Matrimonium contra concupiscentiam. Ibidem: Juxta rationem medicine corporalis, quaedam Sacramenta sunt curativa, quaedam conservativa, quaedam preservativa, quaedam meliorativa.

36. Ejusdem futilitatis sunt rationes ex Apoc. Johannis allegatae, ut: Septem sunt sigilla libri Apoc. 5. Septem sunt tubae Angelorum Apoc. 8. septem sunt stelle in dextra ejus, qui similis est filio hominis, & septem sunt candelabra, Apoc. 1. Item. Septem panibus satiavit turbam Christus, Matth. 15. Septem oculi sunt super lapidem, Zach. 3. Septem lucernae in tabernaculo, Exod. 37. Ergo ex septenario illo numero sequitur septem esse sacramenta.

37. Futes illae sunt rationes. Ergo & futilis est illa Pontificiorum de septenario Sacramentorum numero assertio. Nam. 1. Virtutes eadem habuerunt locum in V. Testamento. Num igitur in V. Testamento septem etiam fuerunt Sacramenta? 2. Et cur ex septem planetis, & septem liberalibus artibus non concluditur septenarius Sacramentorum numerus, à baculo scilicet ad angulum? 3. Cur non ex septenario numero inferatur septem esse Caelos, septem Evangelia, septem Monarchias?

38. Quæstio secunda: Quid sit statuendum de distinctione inter Baptisum fluminis, flaminis, & sanguinis?

39. Resp. Distinctionem illam non simpliciter improbamus, sed sano sensu commendamus: Nam Baptismus fluminis est proprie dictus Baptismus. Baptismus Flaminis est visibilis, & miraculosa effusio Spiritus S. quæ in festo Pentecostes Apostolis, & cæteris fidelibus per

bus per impositionem manuum contigit, quæque tributa quoque fuit catechumenis prius vitæ defunctis, quam Baptismi fluminis seu aquæ participes fierent. Baptismus sanguinis tributus etiam fuit illis catechumenis, qui nimirum prius profundeabant sanguinem suum propter confessionem Evangelii, ut veri, & sancti Martyres seu confessores Christi, quam baptizarentur. Augustinus vel qui author fuit lib. de Ecclesiast. dog. cap. 74. scribit: *In Martyrio tota Baptismi Sacramenta complentur. Baptizandus (Catechumenus) confitetur fidem suam coram Sacerdote, & interrogatus respondet, hoc & Martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem suam, & interrogatus. Ille post confessionem vel aspergitur aqua, vel intingitur: Et hic vel aspergitur sanguine, vel contingitur igne. Ille manus impositione Pontificis accipit Spiritum S. hic habitaculum efficitur Spirit. S. dum non est ipse, qui loquitur, sed Spiritus Patris, qui loquitur in illo. Ille communicat Eucharistiæ in commemorationem mortis Domini, hic ipsi Christo commoritur. Ille confitetur, se mundi actibus renunciaturum; hic ipsi renunciat vitæ: Illi peccata omnia dimittuntur, in isto extinguuntur.*

40. Non est verò divisio illa generis in species, sed potius distinctio nominis in sua significata, seu adjuncti in sua subiecta. Nam 1. Baptismus sive immersionem, sive asperersionem significans non est univocum tribus his speciebus univocè competens, 2. Pronunciatio verborum: Ergo baptizo te &c. cum flamine, & sanguine expresso Christi mandato, conjuncta, aut copulata non est. 3. Effusio sanguinis nudi cujusdam hominis non potest adscribi meritum remissionis peccatorum, quod solius Christi sanguini competit, 1. Joh. 1. ver. 7. Nequaquam igitur proprii sanguinis effusio regenerandi vim, & efficaciam habet, nec organon aut medium est applicationis meritorum Christi, quod ex parte Dei tantum verbo, & Sacramentis, ex parte nostrâ tantum fidei in Scriptura adscribitur. 4. Baptismus sanguinis, & flaminis non omnibus hominibus ex æquo communis est, ut Baptismus aquæ, sed uterque est singulare paucorum tantum privilegium.

41. Quare improbamus hoc Bellarmini lib. de Bapt. cap. 6. Tam martyrimum, quam pœnitentia peccata remittit. Et hoc Colteri in Enchir. Patet eandem esse vim martyrismis ex opere operato, quæ est Baptismi.

42. Quæstio tertia: An Christus ipse administraverit Baptismum seu manibus suis baptizavit?

43. Resp. Pontificii affirmant. Franciscus Suarez Tom. 4. pag. 100.

pag. 200 allegat Nicephorum referentem lib. 2. Histor. cap. 3. ex Evodio, Christum manibus suis baptizasse Petrum. Et tandem addit, valde pium, & credibile esse, Christum ante Apostolos baptizasse virginem manibus suis.

44. Opponimus verò nos assertioni huic auctoritatem Scripturæ, Johan. 4. v. 1. 2. 3. Vt ergò cognovit Jesus, quod audissent Pharisei, Jesum plures discipulos facere, & baptizare, quàm Johannes ( etsi Jesus ipse non baptizabat, sed discipuli ejus ) reliquit Judaam, & abiit rursus in Galilaam.

45. Hic verbis posterioribus expressè negatur, Christum baptizasse. Simpliciter igitur id credimus. Quod autem in prioribus dicitur verbis baptizare, & discipulos facere, id sano intelligendum est sensu: Priori enim per posterius derogatur, & posterius limitat prius. Baptizat igitur Christus non administrando, & aquâ suis manibus aspergendo; Sed instituendo, & virtutem conferendo: Baptizat non ut minister; Sed ut author. Docet id Augustinus tract. 5. 13. 15. in Johan. Discipulis enim Christi baptizantibus, Christus dicitur baptizasse, quia illi ut ministri, hic ut author Sacramenti. Illi tingeabant, hic mundabat.

46. Quæstio quarta: An Baptismus Johannis fuerit idem specie Sacramentum cum Baptismo Christi, & an eandem habuerit efficaciam.

47. Resp. Concilium Tridentinum dicit Sess. 7. Can. 1. Si quis dixerit, Baptismum Johannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi anathema sit, Bellarminus Canonem hunc propugnans tres proponit propositiones in lib. de Bap. c. 20. 21. 22. Prima est: Baptismus Johannis non fuit Sacramentum idem cum Baptismo Christi. Secunda: Baptismus Johannis non habuit eandem vim, & efficaciam, quàm habet Baptismus Christi. Tertia: Post Baptismum Johannis necessariò percipiendus erat Christi Baptismus. Lombardus lib. 4. Dist. 2. lit. D. scribit: Johannes sola corpora abluebat, à peccatis verò non mundabat. Baptismus Johannis erat in Penitentiam, non in remissionem. Baptismus verò Christi in remissionem.

48. Docent verò Protestantes, Baptismum esse non nisi unum, nempe unius Dei primi authoris, qui non redditur diversus ex diversitate Ministrorum, quia illi non suo, sed Dei nomine Sacramentum illud administrant. Proinde Baptismum Johannis esse specie eundem cum Baptismo Christi. Nam. Quæcunq; habent eandem definitionem essentialem, illa nõ differunt essentiali. Atqui Baptismus Christi & Johannis habent eandem definitionem essentialem. Ergo.

Vel: Quæcunque conveniunt causis omninò omnibus, illa essentia non differunt. Atqui Baptismus Johannis, & Christi conveniunt causis omninò omnibus. Ergo.

49. *Conveniunt seu idem sunt ratione causa efficientis, seu primæ authoris.* Nam Johannes Baptista non propriâ sive privatâ auctoritate Baptismum in vexit, *Joh. 1. v. 23. 26.* Sed divino mandato administravit, *Luc. 3. v. 2. Joh. 1. v. 33.* Qui misit me baptizare in aquâ, ille mihi dixit. Unde Baptismus ejus dicitur esse de cælo, *Matt. 21. v. 25.* Et Pharisei renuentes baptizari à Johanne dicuntur sprevisse consilium Dei, *Luc. 7. v. 30.* hoc est illud, quod sapientissim Dei consilio erat institutum.

50. *Sunt idem ratione materia:* Nam uterque baptizavit aquâ. *conveniunt forma:* Baptizavit enim Johannes in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. Et aliam Baptizandi formam in Baptismo Johannis & in Baptismo discipulorum Christi nequit ex Scripturâ ostendere Bellarminus. Deinde idem cognoscitur ex fine & effectu: Nam Baptismus Johannis fuit Baptismus Pœnitentiæ, *Act. 19. versic. 4.* In remissionem peccatorum, *Mar. 1. v. 4.* Atqui remissio peccatorum & pœnitentia in solius Trinitatis nomine confertur. Ergo.

51. *Conveniunt fine, & effectu:* Nam *Mar. 1. v. 3.* Johannes predicat Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum; Petrus *Act. 2. v. 38.* jubet Baptizari auditores suos in remissionem peccatorum. Johannes baptizavit in Jesum Christum. *Act. 19. v. 4.* Petrus *Act. 2. v. 38.* jubet baptizari in nomine Jesu Christi. Et Paulus *Gal. 3. 23.* Quicumque in Christum, inquit, baptizati estis, Christum induistis. Christus de Johannis Baptismo dicit: *Johan. 3.* Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & spiritu non potest ingredi regnum Cælorum. Et Petrus *1. Epist. 3. ver. 21.* de Baptismo, quem à Johanne acceperat, dicit quod nos salvet, item quod sit stipulatio bonæ conscientie erga Deum.

52. 2. *Ab unitate doctrinæ:* Doctrina Johannis fuit eadem que Christi. Ergo & idem Sacramentum Baptismi: Sacramenta enim sequuntur naturam doctrinæ, cujus sunt sigilla.

53. 3. *A Christi approbatione, & sanctificatione:* Si enim Christus Johannis Baptismo est tinctus, ut nostrum Baptismum sanctificaret, certè Johannis Baptismus, à Baptismo, quem administrarunt discipuli Christi, non est diversus. At verum pius, *Matt. 3.* Ergo. Certè non alio Baptismo baptizatus est Christus, & alio membra ejus. Imò tota Trini-

Trinitatis mirandâ apparitione Baptismum Johannis approbavit, eum apertis cœlis sese manifestaret,

54. 4. Ex *Johan. 3. v. 22, 23.* Discipuli enim Johannis indignantur, & ægrè ferunt, quòd Christi discipuli baptizent, idque ad Johannem deferunt. Nulla verò fit mentio diversitatis, seu dissimilitudinis baptizandi, quam certè discipuli Johannis non reticuisserent, si aliqua fuisset.

55. 5. Ex loco *Eph. 4. vers. 5. Unus Deus, una fides, unum baptisma.* Duplex igitur Baptismus infert duplicem fidem, sicut duplex fides duplicem Deum. Seu: Baptismus Johannis aut est Sacramentum V. Testamenti, aut Novi. At non Veteris. Ergo. Aut igitur duo sunt Baptismi N. Testamenti, aut falluntur Pontificii Johannis Baptismus ab hoc nostro essentiâ diversum esse statuentes. Sed duo Baptismi N. Testamenti non sunt. Ergo.

56. Objicis: *Dicitur, inquit, Baptismus Johannis Matt. 3. Mar. 11. Luc. 20. Act. 1. 18, 19. Ergo à Johanne est institutus, & non à Christo, nec habet eandem efficaciam, quam Baptismus Christi.*

57. Resp. 1. Distinguiamus inter Dominum, & Diaconum, *Ἰησοῦν αὐτὸν θεῶν, & Ἰωάννην θεῶν*, inter causam principalem & ministerialem, inter Magisterium, & Ministerium; Johannes fuit quidem primus Baptismi Minister, sed non ipse Magister. Non enim suâ humanâ potestate, sed divinâ baptizavit, ut in præcedentibus ostendimus. Denominationem igitur accipit à primo Ministro. 2. quamvis per Baptismum discipulorum Christi in primitivâ Ecclesiâ visibilia Spiritus S. dona, & uberior invisibilium copia fuerit collata, quàm per Baptismum Johannis, non tamen hinc sequitur, quod non habuerit institutionem divinam. 3. Quando Christus *Matt. 28.* emittit discipulos, Baptismum Johannis sancit; & non alium instituit, docetque eum non tantùm in Judæâ, sed in universo terrarum orbe esse administrandum.

58. Quare manet quod Baptismus Johannis, & discipulorum Christi ratione causarum & essentiæ sint idem, licet differant temporis circumstantiâ: Johannes enim baptizabat in Christum passum, & resurrecturum, Discipuli verò Christi post ejus resurrectionem in Christum passum, & resurrectum.

59. *Quaestio quinta: An iterum fuerint baptizandi à discipulis Christi qui à Iohanne erant baptizati?*

60. *Resp. 1. Eadem fuit essentia, efficacia, & fructus Baptismi Iohannis, qui est baptismi Discipulis à Christo commendati, idque in precedente probavimus quaestione. Ergo qui perceperunt Baptismum Iohannis non opus habuerunt rebaptizari à Christo. 2. Apostoli saltem illi, quorum fit mentio Joh. 1. baptizati fuerunt Baptismo Iohannis: Christus enim neminem manibus suis, sive externo ministerio, baptizavit, sed ad hoc usus est ministerio discipulorum suorum, Joh. 4. v. 2. Nusquam verò illi loquuntur rebaptizati.*

61. *Falsa igitur est Propositio tertia Bellarmini, quam ipse proponit cap. 22. Post Baptismum Iohannis, inquit, necessario percipiendum erat Christi Baptismus: Evincere opinionem hanc conatur primò ex verbis Iohannis Mar. 1. Ego baptizo in aqua, ille vos baptizabit in Spiritu S. & igni. Ergo baptismus Iohannis non fuit ejusdem efficacia cum Baptismo Christi. Et per consequens rebaptizandi erant, qui à Iohanne erant baptizati:*

62. *Resp. 1. Vocabulum Baptismi est æquivocum. Significat enim vel Baptismum fluminis hoc est sacramentum initiationis per quod Christo inferimur; vel Baptismum flaminis hoc est visibilem & mirabilem effusionem Spiritus S. ejusque donorum: In priori significatione usurpatur in verbis prioribus apud Marcum; In posteriori usurpatur in verbis posterioribus, idque arguit vocabulum futuri temporis βαπτίσει, quod notat aliquid tempore futuro expectandum, nimirum Baptismum miraculosum: Nam propter Apostolorum Baptismum Iohannes tempore praesenti uti potuisset, quia Iohannes, & discipuli Christi eodem tempore baptizarunt, Joh. 4. v. 11. Arguit idem vocabulum ignis Matt. 3. v. 11. usurpatum, quo denotatur extraordinaria; & miraculosa Spiritus S. dona in specie linguarum ignearum die Pentecostes collata. Approbat ipse Christus: Nam Act. 1. v. 4. monet eos ut promissionem gratiae Hierosolymis expectent additque rationem, quia Iohannes, inquit, baptizavit quidem aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. non multos post dies. Comprobat ipsum complementum, Act. 2. v. 3. Apparuerunt in Apostolis dispersa lingua tanquam ignis, seditque Spiritus S. super singulos eorum. Accedit applicatio Apostoli Petri, Act. 11. v. 16. cum cepissem loqui, cecidit Spiritus S. super eos, sicut & in nos*

in nos in initio: & recordatus sum verbi Domini sicut dicebat, Johannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu S.

63. 2. Alii addunt, Johannem distinguere inter Magisterium, quod Christo tribuit, & ministerium, quod sibi adscribit, velut etiam Job. 1. v. 23. & ut Apostolus, 1. Cor. 3. v. 6.

64. Deinde eandem opinionem Bellarminus confirmare conatur ex historia Evangelii & Actorum: Nam Matth. 3. Luc. 3. Mar. 1. ibant ad Iordanem ut baptizarentur tota Hierusalem, omnis Judæa, & regiones omnes vicina Jordani. Ergo rari admodum erant eo tempore non baptizati à Johanne. At post ascensionem B. Petrus in Hierusalem predicare cepit necessitatem Baptismi Christi omnibus hominibus. Erga necesse est, ut multi à Johanne baptizati iterum ab Apostolis baptizati fuerint.

65. Resp. Alloquitur Apostolus Petrus nondum renatos, quia dicit: Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. At quos Johannes baptizaverat, illi erant renati. Ergo hoc non intelligit Apostolus.

66. Denique urget Bellarminus locum. Act. 19. Vbi Apostolus jubet baptizari in nomine Domini duodecim viros, qui confessi fuerunt, se non habere nisi Johannis Baptismum.

67. Resp. Locus ille ab interpretibus variè exponitur: Quidam duodecim illos viros rebaptizatos esse sentiunt; An id negant? Qui rebaptizatos eos esse sunt opinati, horum nonnulli, ut Ambrosius in cap. 3. ad Gal. & lib. 1. de Spiritu S. cap. 3. & alii opinati sunt illos adulterino baptismo per *κακοζήλιαν* quandam sub nomine Baptismi Johannis non ritè baptizatos esse. Hujus suæ opinionis conjecturam sumunt ex vers. 2. Ubi hi ipsi crassam Spiritus S. produnt ignorantiam, cujus Johannis discipuli non sunt insimulandi. Verum conjectura hæc non est verisimilis. Nam Spiritus S. plurimis scriptura oraculis erat decantatus. Ejus igitur cognitione destituti non erant. Alii sentiunt duodecim illos viros rebaptizatos quidem fuisse, sed per errorem ante Apostoli Pauli adventum; Sed hoc dicitur absque textu, & contrariatur ipsis discipulis Christi. Alii opinantur, illorum Baptismum ratione acciditium fuisse corruptum: Spem enim in illo Baptismo posuerunt Spiritum S. & Christi Baptisma ignorarunt; Sed nec hæc opinio defendi potest quoniam humana ignorantia Baptismi integritatem non evertit, nec fidem Dei evacuat.

68. Qui verò negant duodecim illos viros verè esse rebaptizatos, ho-

rum alii disputarunt, Baptismi appellationem utrobique pro doctrinâ tum Johannis, tum Christi usurpari, ut sit sensus, illos prius doctrinâ Johannis informatos in Christianæ religionis capitibus instrui cepisse. Verùm opinio hæc planè est inconueniens: Sequitur enim hinc doctrinam Johannis de Spiritu S. fuisse nullam. Alii nomine Baptismi Johannis intelligunt doctrinam Johannis. Arbitrantur igitur eos baptisinate tantùm Christi esse baptizatos; Sed hæc glossanuda est opinio, qua nullâ nititur ratione. Multi docti Johannis Baptismum propriè intelligunt; Christi verè Baptismum vel de doctrinâ, vel de peculiaribus Spiritus S. donis per manuum impositionem duodecim illis communicatis exponunt; Sed quia formula in Baptismo aque usitata ibi usurpatur, nempe quod in nomine Jesu sint baptizati, & non quòd Spiritu S. sint baptizati, idè vix de Baptismo Spiritus locus ille potest exponi.

69. Multi profundi Theologi docent agi in eo loco nonnisi de Johannis Baptisinate, & narrari tantùm, quòd duodecim illi prius fuerint à Johanne instituti, & deinde baptizati, ut sit sensus: Johannes auditores suos primùm de Christo venturo docuit, postè à illos baptizavit. Hujus expositionis ratio 1. petitur à continua Pauli oratione, 2. Aperticulis 12. & de ibi usurpatis: Hæ enim sese mutuò consequuntur, ita ut altera alteri necessariò correspondeat. Continent igitur versiculus quartus, & quintus sermonem Pauli, & versiculus quintus complet sententiam versiculi quarti. 3. Apostolus Paulus extenuare noluit Baptismum Johannis, sed tantùm per manuum impositionem Spiritum S. contulit, sicut & Samaritanis in Christi nomine baptizatis Baptismus legitur collatus, Act. 8. versic. 16. 4. In textu nonnisi manuum impositionis fit mentio.

70. Denique concludimus quæstionem hanc verbis Chemnitii: Disputatio de Johannis Baptismo non est valde necessaria: Nemo enim nunc baptizatur, vel baptizatus est Johannis Baptisinate, &c. Non igitur statim anathemate jugulandi sunt illi, qui de hac quæstione collatis Scriptura sententiis, paulò aliter, quàm veteres quidam disputant, si id fiat salva veritate doctrina de Pœnitentiâ, fide, & pietate.

71. Quæstio sexta: Vtrum infantes veram, & actualem habeant fidem; An verò tantùm habitualem, & num credant fide aliena?

72. Respond. Docent Protestantes unanimiter per Baptismum infantibus actualem conferri fidem; Dicitur verò fides actualis

non respectu operationum externarum, sed internarum, & fidei propriarum, nempe respectu meriti Christi apprehensionis. Nam absque externis aliarum virtutum operibus interna fidei opera esse posse planissimo somniantium exemplo ostendi potest.

73. Confirmamus sententiam hanc 1. *A causa instrumentali salutis*: Nam infantes salvantur, & quidem per Baptismum, Tit. 3. v. 5. Ergo fide verâ sunt præditi, sine quâ nemo salvatur, Joh. 3. Mar. 16. 2. *A negatione maledictionis*: Quicumque non diligit Jesum Dominum est maledictus, 1. Cor. 16. At infantes baptizati non sunt maledicti Ergo. 3. Per quod infantes sunt in Christo, per illud salvantur, Joh. 14. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Atqui infantes aliter non sunt in Christo nisi per fidem, Eph. 2. Ergo.

74. 4. Quicumque vincit mundum, mundi que principem, ille actuali præditus est fide, Johan. 5. ver. 4. At infantes vincunt mundum, quia alioqui manerent sub potestate principis hujus mundi. Ergo. 5. Infantes baptizati regenerantur. Ergo fide actuali sunt præditi. Absque fide enim regeneratio necesse, nec esse potest. 6. Christus ipse de parvulis pronunciat, quod actualiter credant, cum ait: *Qui offenderit unum de pusillis istis, qui in me credunt, Matt. 18.*

75. At Bellarmus, de quibus, inquit, loquitur Evangelium non infantes, sed pueri grandiores erant.

76. Respond. Opponimus vocabulum τὰ βρέφη, Luc. 18. ver. 15. Et jungimus dictum, ex Psalm. 8. v. 3. *Ex ore infantium, vel lactentium perfecisti laudem.* Urgemus scopum Christi jubentis nos converti & similes effici parvulis. Ubi si ex parvulorum numero voles eximere infantes, sequitur hos baptizatos non posse ingredi regnum Dei, si decedant in infantili ætate, & non prius quam grandiusculi evadant. Et quid quæso causæ est, quod grandiusculis pueris similes potius debeamus effici, quam infantibus? Annon cum ætate crescit malitia?

77. 7. Positis proprietatibus, & effectis immediatis fidei, ponitur ipsa actualis fides. In infantibus circumcisis, & baptizatis Scriptura ponit proprietates, & immediatum effectum fidei, 1. Joh. 2. vers. 14. Matth. 18. vers. 3. Mar. 10. vers. 15. Luc. 18. vers. 19. Ergo. Absurdum est, ut qui volunt ingredi regnum cælorum, conformentur his, qui profus sunt increduli. At verò jubet Christus ut adulti si velint ingre di regnum cælorum conformentur parvulis. Ergo absurdum est di-

est dicere parvulos actuali fide esse destitutos. 8. Circumcisio est sigillum justitiæ fidei, Rom. 4. vers. 11. Et Baptismus ἐπερωτημα ἀγάθης συνειδήσεως, 1. Pet. 3. versic. 21. Ergo oportet esse in infantibus baptizatis fidem, & bonam conscientiam, quæ ob signatur. 9. Denique arguit idem exemplum Johannis: Ille enim in utero materno adhuc existens sic repletus, & illustratus est Spiritu S. ut ad adventum Salvatoris sui itidem in utero matris adhuc latens, quæ gaudio exiliret. Ergo infantes actualem possunt habere fidem: Et per consequens falsum est, eos alienâ fide credere. Justus non Ecclesiæ, & susceptorum suorum, sed suâ fide vivit.

78. Reperunt Pontificii, ut Bellarminus lib. 1. cap. 11. exemplum hoc esse singulare, quo nequeat confirmari regula generalis: Et Johannem Baptistam non habuisse motum sine cognitione: Cognovit enim Domini præsentiam, & inde exultavit.

79. Resp. 1. Singulare est in Johanne, quod in utero matris, & non demum in Sacramento initiationis donatur fide. 2. quod insignis ille motus spiritualis lætitiæ, atque fidei sese sensibiliber prodit; At ostendimus exemplo illo 1. Infantes etiam Dei virtute, & sic Dei ordinatione esse fidei, motuumque fidei capaces. 2. Proinde quod Johanni haud dum in lucem edito immediatè est collatum, idem mediatè per Baptismum nostris infantibus conferri posse.

### Finis Disputationis XXVII.





## Disputatio XXVII

QVÆ EST

DE BAPTISMO POSTERIOR,  
& confirmatione.

RESP. Michaelæ Dickhusio.

T H E S I S I.



Examinauimus opiniones Pontificias de causa Instrumentali, & Subiecto Baptismi. Pergimus igitur agere de eius efficacità, & de confirmatione.

2. Quæstio prima: An Baptismus tollat reipsa id omne, quod habet rationem peccati?

3. Resp. Bellarminus lib. 1. de Sacram. Baptismi cap. 12. Veri effectus (Baptismi) apud catholicos tres, inquit, sunt. Primo enim Baptismus tollit, ac delet verè omnem culpam & pœnam. Secundo confert ex opere operato gratiam, & dona diuina, quibus verè, & formaliter iustificatur homo. Tertio imprimit indelebilem characterem, ob quem reiterari non potest. Et cap. 13. Probat ex Scripturis, Baptismo reipsa tolli omnia peccata, ita ut non solum non imputentur, sed nec sit, quod imputari possit ad culpam. Canisius pag. 126. Susceptus ritè Baptismus non hoc modò largitur, ut impio plenè omnia peccata condonentur, atq; tollantur, sed etiam, ut baptizatus. Planè innovetur, ac verè innocens, iustus, sanctus, & cœlesti gloriâ dignus in Christo efficiatur.

4. Secundum effectum examinauimus in Disputat. de Sacramentis in genere. De reliquis igitur duobus restat, ut iam agamus.

5. Commendamus sententias Patrum: Tollitur in Baptismo concupiscentia, non ut non sit, sed ne obsit. Et dimittitur peccatum, non ut non sit, sed ut non imputetur. Videatur Ambrosius in c. 6. Epist. ad Rom. Augustinus lib. 1. de nupt. cap. 25. Tract. 41. in Joh. c. 28. Epist. 50. ad Bonif.

Yyy

6. Qua

6. Quatuor enim concurrunt in peccato à quibus liberandi sumus, ut sunt, *reatus seu imputatio, Dominium, sensus, & radix*: Per Baptismum, qui est lavacrum regenerationis, *Tit. 3. v. 5.* & per poenitentiam, quæ est reversio ad Deum, liberamur à peccati reatu, seu imputatione: A dominio per renovationem seu per inchoatam obedientiam A sensu per mortem: A radice per cinesactionem.

7. Vel peccatum consideratur absolutè in prædicamento Qualitatis, nimirum secundum se, quatenus imagini Dei opponitur, vel relatè in prædicamento Relationis, nimirum respectu personæ, cui imputatur, vel non imputatur. Materiale peccati absolutè considerati est illud omne, quod illegalitatis est capax cujusmodi est illud, quod divina lege comprehenditur, sive quod respectum ad eam habet. Formale peccati absolutè considerati est declinatio, seu à lege aberratio, quæ apud Johannem in vocabulo *ἀνομίας*, particula privativâ & denotatur. Materiale peccati relativè considerati est ipse vitiosus habitus, & actus; formale ejus est reatus, seu ad pœnam obligatio, sive imputatio: Hoc sensu docent theologî, formale peccati tolli per Baptismum, & materiale remanere: Nam personæ non imputatur, & non damnatur: Vnde veniale est, non respectu sui, sed respectu personæ. Seu veniale est non in Prædicamento Qualitatis, sed Relationis: Tollitur peccati reatus, & formale à personâ, & in Prædicamento respectivo, sed non in absoluto.

8. In Baptismo igitur duo nobis conferuntur: Prius est peccatorum remissio propter meritum Christi, seu sanguinem ejus pro nobis effusum, qui nos emundat ab omni peccato, quæ perfecta est, & dicitur regeneratio. Posterius est renovatio, quæ est carnis, & veteris Adami mortificatio, & novæ obedientiæ in hac vita inchoatio, quæ in alterâ vitâ est perficienda, & consummanda, *2. Cor. 4. v. 16.*

9. Regula theologorum hæc est: *Renati in hac vita liberantur à supplicio ὀλιῶς; à vitio μετῶς perfecta est peccatorum remissio; Sed imperfecta renovatio.* Augustinus lib. 2. contra Julianum, Deus, inquit, vitium sanat à reatu statim, ab infirmitate paulatim.

10. His præmissis sententias Patrum Scripturæ conformes, & thesi 5. propositas confirmamus his fundamentis. 1. homo renatus est adhuc maculatus. Ergo fons peccati ab eo non est sublatus. *Job. 14. v. 14. 15.* Quid est homo, ut immaculatus sit, & ut justus appareat natus. de muliere

de muliere? Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis & cœli non sunt mundi in conspectu ejus. Et quis dicere potest mundum est cor meum. *Joh. 1.* Apostolus de renatis semetipsum includens, & universaliter pronuncians dicit. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

11. *Ne dixeris Apostolum intelligere tantum peccata actualia.* Luculenter enim distinguit inter peccatum habere, & inter peccatum facere. Peccatum facere alienum omninò esse debet ab omnibus renatis idq; docet *cap. 3. v. 4. 8. 9.* Peccatum verò habere commune est omnibus etiam renatis.

12. 2. Apostolus Paulus dicit *Rom. 7. 14. 15. 16. 19. 18. 17.* Ego carnalis sum, vñ n̄ datus sub peccato. Quod enim operor, non intelligo. Non enim, quod volo bonum, hoc ago; Sed quod odi, malum illud facio. Si autem quod nolo illud facio; consentio legi quoniam bona est. Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, scio enim quod non habitat in me, h. e. in carne mea, bonū. Nam velle adjacet mihi: Perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo, bonum, hoc facio; Sed quod nolo malum hoc ago *vers. 21. 23.* Invenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccatis, quæ est in membris meis. *Fatetur igitur Apostolus, quod non habitat in carne sua bonum, quod malum sibi adjaceat. At fuit ipse renatus. Ergo.*

13. *Excipis, Apostolum, inquit, Rhetorem agere, & non de ipso, sed de aliena persona loqui, nimirum de homine nondum renato; Aut si de se ipso loquatur, intelligendum esse tempus ante conversionem Apostoli.*

14. *R.* Refutat exceptionem hanc 1. *Clarissima litera:* Utitur enim. Apostolus persona non secundâ vel tertiâ, sed primâ, *v. 14.* Ego carnalis sum. *v. 15.* Ego, quod odi facio. *v. 16.* Ego consentio legi. 2. *Notatio temporis;* Nam Apostolus nō in præterito, sed in præsentis dicit *v. 14.* Ego carnalis sum. *v. 24.* Infelix ego homo, quis me liberabit. 3. *Renatorum proprietates,* quæ attribuantur ei, de quo loquitur hoc loco Apostolus, *ut v. 15.* Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi, illud facio. At renati est illud odisse, quod nolenter facit Non enim renatus scienter, & volenter facit malum. *vers. 16.* Si quod nolo, illud facio, consentio legi, quoniam bona est. *versicul. 22.* condelector legi Dei secundum interiorem hominem. At hoc renatorum est

proprium ut constet ex exemplo Davidis, *Psal. 1. v. 2. Psal. 11. v. 77. 103. vers. 179. Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Distinctio hæc competit soli renato. Hominis enim nondum renati peccata sunt voluntaria. *vers. 18. Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio.* Et hoc renatorum est proprium. *Vers. 22. condelector legi Dei secundum interiorum hominem.* Solus verò renatus habet interiorem hominem, & in eo interior homo opponitur corruptioni naturæ. *vers. 23. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mee.* Talem, luctam qui experiuntur, sunt renati: In his enim caro concupiscit adversus, Spiritum, & Spiritus adversus carnem, *Gal. 5. v. 17. vers. 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Et hoc ipsorum est, qui gra vitatem lapsus agnoscunt, & Deum seriò invocant. *vers. 2. Gratia Dei per Jesum Christum, Dominum nostrum.* Certè, qui novit se per Christum Deo reconciliatum esse, ille est renatus. *vers. 25. Ego ipse mente servio legi Dei: Carne autem legi peccati.* Et hoc solis adscribi potest renatis.

14. Pontificii variè sese torquent: Bellarmin. lib. 5. de Amis. Grat. cap. 10. concupiscentiam, ait, vocari peccatum improprie, per figuram Metonymia, quod sit causa peccati, si ei obediatur. Concilium Trident. Sess. concupiscentiam, inquit, vocari peccatum, non proprie, cum hoc non addatur, sed improprie, seu figurate, nimirum quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Perrius in Epist. ad Rom. Disp. 10. num. 61. scribit, concupiscentiam dici peccatum, eò quod sit vitium natura, ut surditas, cæcitas, & peccati effectus, atq; instrumentum, quo per actum generationis peccatum originis pro pagetur.

15. Resp. 1. Petunt principium affirmando in Baptismo peccata planè tolli, & deleri, vel radicitus auferri. 2. Spiritus S. de Articulis fidei in sede propria loquitur proprie, vel tropum ipse declarat. 3. Spiritus S. igitur verba accipienda sunt proprie, nisi vel fidei analogia vel cohærentia textus tropicam explicationem exigat. 4. Falsum est peccata non esse etiam in corpore, sed tantum in mente. Quod vel uno loco refellitur, 1. Cor. 6. v. 18. Fugite fornicationem: Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. 5. Aperta est contradictionis implicatio concupiscentiam repugnare legi, & tamen non esse proprie peccatum: affirmatur enim definitio, & negatur definitum.

16. Pergit Bellarminus Apostolum, inquiens, loqui de concupiscentia actu.

actu voluntario seu concupiscentiam non accipi pro fomite, sed pro actu voluntario concupiscenti, qui prohibitus sit lege: Non concupisces.

17. Resp. Utrumque docet Apostolus, & concupiscentiam originalem, & actuale esse peccatum, idque patet 1. ex vers. 7. Peccatum non cognovi nisi per legem: Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, non concupisces.

18. Resp. 1. Loquitur Apostolus in singulari, peccatum, inquit non cognovi. Intelligit igitur singulare quoddam peccatum, nimirum peccatum originale. 2. Illud intelligit peccatum, quod nolit, quod odit, cui repugnavit. Hoc vero est non voluntarium, sed originale.

19. 3. Idem probatur à quotidianâ peccatorum remissionis petitione: Qui peccatorum remissionem petere necesse habet, ille ab omni peccato non est immunis. Atqui renati eam petere necesse habent: Nam salvator in oratione Dominicâ præcepit, ut oremus: Et remitte nobis debita nostra. Et Psalmista dicit Psal. 32. vers. 5. 6. Remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Ergo.

20. 4. A luctâ carnis, & Spiritus in Renatis: Nam caro concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem. Gal. 5. v. 17. Atqui concupiscentia carnis, quæ est in Renatis adversatur concupiscentiæ Spiritus, quæ legi est conformis. Illa igitur est legi difformis, & peccatum.

21. 5. Renatus generat peccatorem, filium ad imaginem suam. Ergo per Baptismum, peccatum non profus extirpatur.

22. 6. Sublata omni causâ tollitur ipse effectus. At non est ille ablati à renatis, siquidem mors manet omnes homines, etiam ipsos infantes, qui peccata actualia, nondum perpetrarunt Rom. 6. v. 23. Stipendium peccati mors est. Ergo.

23. 7. Hilarius in Psal. 58. dicit: Quis gloriabitur, castum se habere cor, coram Deo: nec si unius diei fuerit infans, manente in nobis etiam secundum Apostolum & origine, & lege peccati. Gregorius Nazianzenus in Apologético: Intra nosmetipsos, inquit, propriis vitiis, ac passionibus impugnamur, & die, noctuque ignitis stimulis corporis humilitatis hujus, & corporis mortis urgemur. Augustinus de perfect. Inst. Inest quidem peccatum in membris, sed non regnat, quia non obeditur desideriis ejus.

24. Quæ opponunt Pontificii argumenta, illa pleraque solvuntur.

vuntur datâ illâ communi distinctione, quâ distinguitur inter peccati reatum, dominium sensum & radicem. Bellarminus urget scripturæ testimonia, quæ habent vocabula mundandi, lavandi, tollendi, delendi, auferendi, & similia. Psalm. 50. Dele iniquitatem. Mich. 7. Aufer iniquitatem Ephes. 4. Mundans eam lavacro. Quæ imprimis, inquit, pugnant cum modo loquendi adversariorum, ac præsertim Lutheri: Et præterea non possunt, nisi ineptissime exponi pro non imputari. Non enim dicitur rectè quis tollere ab alio ignorantiam, vel malitiam, quia ignoscit illi, quod aliquid ignoranter, aut malitiosè fecerit.

25. Resp. 1. Distinguiamus inter perfectam satisfactionem, plenam peccatorum remissionem, & omnimodam peccati extirpationem: Illa pro toto mundo, & pro iis etiam, qui pereunt est præstita: Estn. Christus agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Ista solis obtingit creditibus: Hæc in hac vita inchoatur, in futurâ consummatur. Exempli gratia, Davidis adulterium, quia condonatum fuit, deletum dicitur, sed adulterium esse non desuit. Vocabula igitur tollendi, auferendi, delendi, denotant vel universalem Christi satisfactionem, vel particularem, & fidelibus collatam remissionem; sed non omnimodam peccati ex renatis expulsionem. 2. Apostolus, quos 1. Cor. 2. v. 11. nominat ablutos sanctificatos, & justificatos, eosdem appellat mundanos, carnales, & secundum hominem ambulare dicit, 1. Cor. 3. v. 3. 2. Cor. 11. v. 20. 3. Sunt enim opera Spiritus S. vel immediata, vel mediata. Hæc considerantur vel respectu agentis Dei, qui perfectè agit, quicquid agit; vel respectu patientis, ut sunt homines sub peccato venundati, quibus semper adhæret malum in carne existens. Cum autem homines, qui renovantur, peccato originis sint infecti, hinc fit, ut renovatio sit imperfecta: *Receptum enim est in recipiente secundum modum recipientis.*

26. Pergit Bellarminus, & profert testimonia Scripturæ, quæ dicunt, tolli maculas, aut inquinamenta, aut iniquitates, cant. 4. Tota pulchra est amica mea, & macula non est in te, Johan. 3. Qui totus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Voces autem macula, inquinamenti, iniquitatis, & similia non significat reatum, id est obligationem illam, quæ potest tolli per non imputationem, sed significant ipsam scditatem. Non enim potest verè dici mundus totus in quo aliquid relinquitur, quod macula rationem habet.

27. Resp. 1. Sanctitas alia est imputata, & alia inherens: Satus alius est Ecclesia militantis, & alius triumphantis, alius militia, & alius victoria, alius renatorum, & alius beatorum: Ecclesia militans dici potest esse sine maculâ, nimirum respectu sanctitatis Christi imputatæ: Christus enim solus factus est sanctificatio, 1. Cor. 1. Respectu verò sanctitatis inherens Ecclesia triūphans est sine ruga, & sine maculâ. 2. Conferunt enim Baptismus peccatorum remissionem, & ipsius peccatoris renovationem: Illa est perfecta, hæc inchoata, & imperfecta: De die enim in diem renovamur, 2. Cor. 4. v. 16. Verus igitur fermentum expurgemus, 1. Cor. 5. v. 7. Veterem hominem destruamus, Rom. 6. v. 6. Facta carnis mortificemus, Rom. 8. v. 13.

28. Quæstio secunda: An Baptismus imprimat animæ indelebilem characterem, ob quem non sit iterandus?

29. Resp. Concilium Tridentinum can. 9. de char. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, confirmatione & ordine non imprimi characterem in animâ, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit. Bellarmin. lib. 2. de Sacram. in genere cap. 19. opinionem de characterem aliquot proponit propositionibus. Prima est: Signum aliquod spirituale animæ imprimitur, quod character appellatur. Secunda: Character non est relatio, sed absoluta qualitas. Tertia: Character tria habet officia, aptum facere ad cultum divinum, configurare Christo, & distinguere ab aliis. Quarta: Character sacramentalis in solâ animâ est tanquam in subjecto. Quinta: Character indelebilis est. Sexta: Triâ solum sacramenta imprimunt characterem: Baptismus confirmatio, & ordo. Nam in his tribus accipit homo novam potestatem, ac deputatur novo Ministerio, per novam consecrationem, & quodammodo statum mutat, ac proinde accipit novum signaculum. Nam in Baptismo transit homo à Diabolo ad Christum, adscribitur in ejus familiam, & accipit potestatem participandi sacramenta, aliâque bona Ecclesiæ Christi. Septima: Nec circumcisio, nec ullum sacramentum V. Legis imprimebat characterem in animâ. Octavâ: Nullus in Christo character fuit creatus.

30. Docent verò Protestantes commentum hoc Pontificiorum de characterem esse novum Scripturæ, & antiquitati ignotum, & nullâ niti auctoritate, & solida ratione.

31. 1. *Est Commentum hoc novum* : Nam Gabriel in 4. *Senten. Distin. 9. quast. 2.* dicit & probat, vocabulum characteris in hac significatione, & sententia, nec in scriptura, nec in vetustis Ecclesiasticis scriptoribus extare.

32. 2. *Non est necessarium* : Nam primò omnia, quæ de caractere dicuntur, æquè possunt solvi, & explicari sine caractere, sicut eum caractere. Siquidem sacramentum ipsum omnia operatur sine caractere. Deinde omnia illa, quæ caracteri tribuuntur, inveniuntur, in Eucharistia, & in cæteris, quæ non imprimunt secundum ipsos Pontificios caracterem. Et quæ de caractere dicuntur voluntaria, sunt, & rationes, quæ adducuntur sunt persuasiones non procedentes ex necessariis.

33. 3. *Est incertum & infirmum* : Ex opinione enim Pontificia characteris impressio debet probare Baptismum non esse iterandum. Hoc autem à tempore institutionis Baptismi fuit certum. At illud ne hodie quidem evidenter certum est. Minus igitur manifestum est caracterem esse, quàm Baptismum non posse iterari. At omne arguens manifestius esse debet arguto. Quare argumentum initerabilitatis Sacramentorum petitur ex ipsa institutione, & non ex characteris impressione.

34. 4. *Commentum de caractere labefactat fundamentum dogmatis maxime necessari propter conscientiarum consolationem.* Nam non de re agitur ardua, quando quæritur, cur Baptismus non sit iterandus, quod in Baptismo Deus nobiscum ineat pactum gratiæ perpetuum, quod servare velit, etiam si nos ab eo discedamus, si modo in verà pœnitentiâ per fidem ad illud redeamus? Num hujus certitudo nisi potest commento recens invento de caractere animæ impressione

35. *Quæstio tertia: Cur igitur Baptismus non sit iterandus.*

36. *Resp.* Docent Pontificii, cum Protestantibus, Baptismum secundum ordinationem divinam administratum non esse iterandum: Sed de fundamento assertionis hujus dissentiunt. Nam Pontificii remittunt ad commentum de impressione characteris.

37. Hoc verò somnium cum in præcedente quæstione rejecerimus, & refutaverimus, veræ, & graves causæ sunt ostendendæ, cur peccator post lapsum pœnitentiam agens, non sit iterum baptizandus.

38. Fundamentum igitur primum reddimus à causa cur iteretur cœna: Nam in verbis Institutionis cœnæ Christus dicit: *Quotiescunq; hoc feceritis.* De pœnitentia etiam dicit: *Non dico septies, sed septuagies septies.* At de Baptismo Scriptura non tradit, ut quotiescunq; lapsi fuerimus, toties iterum baptizemur. De Sacramētis verò, & fidei Articulis judicare debemus, non ex hujus vel illius cōmentis, sed ex solo Dei verbo, seu ex solâ Scripturâ factâ: quæ docet fundamentum fidei, ostendit illad, quod Deus vult à nobis fieri. Quicquid igitur in Scriptura nobis non est præscriptum, & revelatum, in fidei Articulis non admittitur.

39. *Secundum à perpetuitate pacti gratiæ, & fœderis pacis:* Non enim, quod in Baptismo inicitur, & obfignatur, non est momentaneum, sed ex parte Dei ἀειήτων, & divini fœderis vigore janua gratiæ & misericordiæ est aperta. Ergo non est opus Baptismum iterate, sed si deficit ex parte hominis instrumentum, quo gratia divina apprehenditur, aut apprehensa retinetur, nempe fides, resipiscat ipse peccator oportet, & ad fidem pœnitentiamque renovetur, seque erigat fidei Baptismi recordatione, in infantia sibi olim collati. Deus enim semper fidelis manet qui se ipsum negare non potest. 2. Tim. 2. licet homo aliquando à Deo se avertat.

40. *Tertium:* Si igitur Baptismus iteraretur, fieret injuria fidei ipsius Dei, quasi nostra infidelitas Dei fidem evacuare possit. *Quartum:* Apostolus Corinthiis, & Galatis lapsis proponit promissionem & consolationem Baptismi prius suscepti, De rebaptizatione nullam faciens mentionem.

41. *Quintum:* Circumcisio non est iterata. Ergo nec iterari debet Baptismus, qui in circumcisionis locum successit. *Sextum:* Generatio naturalis est una. Ergo & regeneratio spiritualis.

42. *Quæstio quarta:* Num efficacia Baptismi se non extendat ad futurum, sed solum ad præteritum?

43. *Resp.* Concilium Tridentinum Sess. 7. con. 10. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum sunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi vel dimitti, vel venialia fieri anatHEMA sit.* Suarez in Apoc. serm. 15. pag. 323. *Quid magis nefandum? quid magis execrabile, quam affirmare Baptismum non solum pro peccatis præteritis accipi, sed etiam pro futuris. Ita, ut quoties aliquis in peccatum labitur, dummodo recorderetur, se semel baptizatum*

si *zatum* fuisse, veniam delicti accipiat. Bellarminus libr. 1. de Baptis. cap. 18. Non potest, inquit, fieri, ut solâ memoriâ, & fide suscepti Baptismi peccata remittantur, quæ post Baptismum sunt, sed necessarium est pœnitentiæ Sacramentum. Ibidem pag. 356. Catholici primum affirmant, Baptismo remitti peccata ex opere operato, id est, vi Sacramenti. Secundo, inde colligunt, Baptismi efficaciam non se extendere ad futurum, sed solum ad præteritum: Remittit enim peccata ante commissâ, & nondum dimissâ, id est, quæ inveniunt in homine, quando re ipsa suscipitur. Tertio inde colligunt, amissam gratiam Baptismi, non posse iterum recuperari per Baptismum, sed querendum esse aliud remedium magis arduum & difficile, id est, Sacramentum Pœnitentiæ, post quod remanet luenda temporalis pœna pro satisfactione, & inde consequitur utilitas Indulgentiarum, Purgatorii locus, &c. Quarto inde colligunt rectissimè dictum esse à Patribus, Pœnitentiæ post Baptismum esse secundam tabulam post naufragium, quia non redeunt, qui pœnitentiæ agunt, ad navim Baptismi, sed magno cum labore navigant, ut ii, qui accepta tabula post naufragium in eâ rebuntur.

44. In examine verò assertionis hujus pontificiæ ad quatuor optissimum est respiciendam, ut sunt. 1. ipsa occasio. 2. Ipsa de Strina. 3. Incommoda eam consequenda. 4. Eius inutilitas.

45. OCCASIONEM præbuit, dicit B. Lutherus, periculosum illud dictum Hieronymi, sive malè positum, sive male intellectum, quo pœnitentiæ appellat secundam post naufragium tabulam. Hinc enim in peccatis post Baptismum de primâ tabulâ seu nave desperantes, velut amissâ, secundæ incipiunt inniti & fidere tabulæ, hoc est, propriæ contritioni, & satisfactioni.

46. Doctrinam igitur hinc talem excogitarunt & proposuerunt: Gratia Baptismi valet tantum ad remissionem peccatorum præteritorum, vel quæ sunt à homine perpetrata, & sunt in eo, quando baptizatur. Quare si post Baptismum aliquis in peccatum labatur, etiam si pœnitentiæ agat, tamen in conversione, seu pœnitentiâ de peccatis post Baptismum expiationem, & reconciliationem querere debet, non in gratiâ illius promissionis, quæ in Baptismo ipsi est oblata, communicata, & ob signata querenda, sed alia omninò circumspicienda, & tentanda sunt media, per quæ consequatur peccatorum remissionem.

remissionem, gratiam, & reconciliationem, atq; quibus fretus se erigere, & consolari possit.

47. Hinc igitur nata fuerunt votorum, religionum, meritoriorum operum, propriarum satisfactionum, peregrinationum, indulgentiarum, & aliarum inepriarum infinita illa onera, & de iis otiosæ, & inutiles quæstiones de potestate Papæ, de traditionibus humanis, & aliis similibus superstitionibus.

48. Pernitiosissimum igitur hunc esse errorem sequentibus ostendimus fundamentis. 1. Pacti seu fœderis Dei, quod respectu Dei est ἀμεταμέλητον, efficacia & beneficia non extendunt sese ad tempus solum præteritum, sed etiam ad futurum, & suo modo durant per totam vitam. Atqui Baptismus est pactum seu fœdus Dei, 1. *Per. 3. vers. 21. Cujus figura nunc respondens Baptismus, nos quoque salvos reddit (quo non carnis sordes abjiciuntur, sed quo fit, ut bona conscientia bene respondeat apud Deum) per resurrectione Jesu Christi: Quod pactum ex parte Dei est ἀμεταμέλητον Rom. 11. v. 29. Dona quidem & vocatio Dei ejusmodi sunt, ut eorum illum pœnitere non possit. Ergo.*

49. 2. Pactum seu fœdus Dei, quod non redditur irritum propter malitiam, & incredulitatem hominum extendit se etiam ad futurum, & est perpetuum. Atqui Baptismus est pactum seu fœdus Dei, quod propter malitiam, & incredulitatem hominum non redditur irritum, *Roman. 3. vers. 21. hominum incredulitas fidem Dei evacuare non potest. 2. Tim. 2. v. 23, Si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest. Ergo.*

50. 3. A mandato Dei jubentis homines in verbo suo ad pactum istud reverti. Hujus rei dulcissima extat promissio *Jer. 3. vers. 1. 4. 5. 7. 12. 13. Vulgò dicitur, si dimiserit vir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: nunquid revertetur ad eam ultra? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen revertere ad me dicit Dominus. Ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es. Nunquid irasceris in perpetuum, aut perseverabis in finem? Ecce locuta es. Et dixi, cum fecisset hæc omnia, ad me revertere, & non est reversa. Et*

dixit Dominus ad me: vade & clama sermones istos contra Aquilonem, & dices, revertere avertatix Israël ait Dominus: & avertam faciem meam à vobis: quia sanctus ego sum dicit Dominus, & non irascar in perpetuum. Convertimini filii revertentes, dicit Dominus: quia ego vir vester, & assumam vos, &c. Accommodari verò rectissime consolationem hanc ad fœdus Baptismi ostendit exemplum à conjugio sumptum *Eph. 5.*

51. Reverti autem debemus ad fœdus Baptismi tanquam ad fundamentum hæreditatis nostræ, *Tit. 3. v. 5. 6. 7.* secundum suam misericordiam, salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, ac renovationis Spiritus S. quem effudit in nos opulenter per Jesum Christum Servatorem nostrum, ut justificati illius gratia, hæredes efficeremur juxta spem vitæ æternæ.

52. 4. Idem evidenter docent verba Prophetiæ, *Ezech. 36. v. 25.* Effundam super vos aquam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. Tribuitur igitur in Baptismo omnibus delictis live præsentibus sive futuris.

53. 5. Lapsi igitur recurrerunt ad promissionem gratiæ in Baptismo exhibitæ collatæ, & ob signatæ. D. Petrus à lapsu suo erectus dicit: Baptisma nos (semetipsum includens) salvat, *1. Ep. 3. v. 21.* Apollolus Paulus Galatas graviter lapsos, *Gal. 1. & 2.* consolatur atque erigit ex percepto Baptismo, *Gal. 3. v. 27.* Et Corinthios multiplici peccatorum genere pollutos, *1. Cor. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* &c. dicit ablutos esse in Baptismo, *1. Cor. 6. v. 11.* Hoc nimirum fine ut actâ pœnitentiæ peccata deniceps fugiant, & Christo toti adhæreant. Et *cap. 12. v. 13.* dicit: in uno Spiritu nos omnes baptizati sumus in unum corpus. Unitas verò manifestè refutat opinionem papisticam.

54. 6. A circumcissione: Ab hac enim cui successit Baptismus, consolationes in V. Testamento fuerunt petitiæ. Docet id exemplum Jonathæ, *1. Sam. 14. v. 6.* Dixit Jonathas ad adolescentem armigerum suum, veni transeamus ad stationem in circumcissorum eorum, si fortè faciat Dominus pro nobis. Et exemplum Davidis, *1. Sam. 17. v. 36.* Leonem & arsum interfeci ego servus tuus: Erat igitur & Philistæus hic incircumcissus quasi unus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis est iste Philistæus incircumcissus? qui ausus est

sus est maledicere exercitui Dei viventis. Uude Apostolus circumcissionem vocat sigillum justitiæ fidei *Rom. 4. v. 11.*

55. 7. Itaque pactum gratiæ, seu fœdus pacis, quod Deus in Baptismo nobiscum iniit, est æternum, *Eesai. 54.* In misericordiã sempiternã misertus sum tui. Montes enim commovebuntur, & colles contremilcent: Misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur, dixit miserator Dominus. Ergo respicit non præteritum tantum tempus, vel momentum illud, quo baptizamur, sed durat per omnem vitam.

56. 8. Scriptura igitur de efficacia Baptismi loquens, extendit eam ad omnia tempora, proinde utitur præterito *Tit. 3. v. 5.* Salvavit nos per lavacrum regenerationis, & renovationis, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut ipsius gratia justificati, hæredes efficiamur secundum spem vitæ æternæ. Utitur presenti *1. Pet. 3. v. 21.* Baptisma nos (sive jam pridem, sive dudum baptizatos etiam post lapsum respicientes, & pœnitentiam agentes) salvat. Et additur ratio, quia est ἐπερωτημα interrogatio bonæ conscientiæ erga Deum per resurrectionem JESU CHRISTI. Hæc verè est ratio salutis omnium temporum, sive dum baptizamur, sive post Baptismum brevi, vel diu. Et *Ephes. 5. vers. 26. 27.* CHRISTUS sanctificat, & mundat Ecclesiam lavacro aquæ in verbo, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut esset sancta, & irreprehensibilis. Hoc verò in alterâ vitâ demum perfectè est implendum. Utitur futuro, *Mar. 16. v. 16.* Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

57. 9. Redigimus igitur opinionem illam papisticam ad absurda: Sequitur enim ex eâ 1. Scripturam de efficaciâ Baptismi in futuro non rectè loqui. *Marc. 16. vers. 16.* 2. Baptismum non esse lavacrum renovationis, quæ per omnem durat vitam *Eph. 5. 3.* Baptismum non fundari in CHRISTI morte, *1. Pet. 3. vers. 21.* quæ expiavit peccata non tantum præterita, sed quævis etiam futura: Christus enim hodie, heri nunc & in secula. Et agnus Dei occisus est ab origine mundi. 4. Non rectè Baptismum administrari in infan-

siis esse mutabilem, contra illud: Deus ego, & non mutor. Et nunquid dicat, quod non fiat? 6. Christianum post lapsum, & post peccata perpetrata non esse habendum pro baptizato.

58. Denique idem docuerunt pii patres, *Cyrillus in Johan. lib. 6. c. 14.* Catechumenus, inquit, inungitur, ut doceatur, baptizatur vero, ut verum lumen agnoscat, & remissionem omnium peccatorum accipiat. *Augustinus lib. de nupt. & concupisc. cap. 23* Illud, Christus dilexit Ecclesiam, mundans eam lavacro aquæ, sic accipiendum est, eodem lavacro regenerationis, & verbo sanctificationis omnia prorsus mala omnium regenerantium mundentur, atque sanentur: non solum peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptismo; Sed etiam quæ posterius humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur: non ut Baptisma, quoties peccatur, toties repetatur, sed quia ipso, quod semel datur, fit ut non solum antea, verum etiam postea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodesset, vel ante Baptismum pœnitentia, nisi Baptismus sequeretur: Vel postea, nisi præcederet? in ipsa quoque Dominica oratione, quæ quotidiana nostra est emendatio, quo effectu diceretur: Dimitte nobis debita nostra, nisi ab eis, qui Baptizati sunt, diceretur?

59. Imò Alphonsus Salmeron Pontificius Bellarmino hic contrarius pag. 487. concludit, dicendum, *Baptismo non tantum præterita sed etiam futura peccata remitti.*

60. Quæstio quinta: Num confirmatio pontificia sit sacramentum propriè ita dictum, & an rectè Ecclesiis nostris sit ejecta,

61. Resp. *Canisius dicit in Institut. Christ. Confirmatio est baptismatis collatum ab Episcopo Sacramentum, in quo per sanctum chrisma, & verba sacrosancta confertur gratia, & robur spiritus additur, tum ad firmiter intendendum, tum ad nomen Domini, quando sic opus est, liberè confitendum. Oleum, quod chrismale vocant exorcizant, his verbis: Exorcizo te creatura olei, per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit Cælum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt: ut omnis virtus adversarii, omnis exercitus Diaboli, omnisque incurio, & omne phantasma Satanae eradicetur, & effugetur à te, ut fias omnibus, qui ex te ungenti sunt in adoptionem filiorum per Spiritum Sanct. in nomine Dei Pa* tris  
omni

omnipotentis, & in charitate Jesu † Christi filii ejus, Domini nostri, qui cū eo vivit, & regnat Deus in unitate ejusdem, Spiritus sancti. In summa doct. Christ. In Baptismo regeneramur ad vitam : Post Baptismum autem in hoc Sacramento confirmamur ad pugnam : In Baptismo abluimur, hoc verò post Baptismum roboramur, ut regenerato custos, & consolator, & tutor adsit Spiritus Sanctus. Hæc summi & Pontificis, & Martyris Melchiadis est doctrina, nec dissentit ab eo, quod Clemens testatur, se ab Apostolis ipsis accepisse : Cum regeneratus, inquit, quis fuerit per aquam, postmodum septiformi Spiritus gratia ab Episcopo confirmetur, qui aliter perfectus Christianus nequaquam esse poterit.

62. Verum si confirmatio illa ejusmodi efficere possit, & esset Sacramentum Novi Testamenti propriè ita dictum magni omninò eam faceremus. At rem totà non ita se habere, paucis ostendimus. 1. Omne Sacramentum propriè ita dictum seu invisibilis gratiæ visibile signum & medium, immediatè à Deo ipso est institutum, & ordinatum : Agnoscit id Catechismus Romanus in ipsâ confirmat. doct. pagin. 322. *Sacra omnia mysteria humana natura vires superant, nec ab alio, quam à Deo possunt institui.* Atqui confirmatio pontificia neque quoad materiam, neque quoad formam à Deo est instituta, sed merum est inventum humanum. Ergo.

63. 2. Quæcunque res operatur divina, & confert dona Spiritus Sancti de ea extat alicubi promissio, quâ nitimur. Atqui de operationibus tantis confirmationis pontificiæ, nulla extat promissio. Ergo.

64. 3. Superstitiosa & idololatrica sunt abominabilia. Atqui confirmatio pontificia est superstitiosa, & idololatrica. Nam oleum superstitiosè conceptis verbis exorcizatur, quasi verum non sit illud Apostoli, 1. Tim. 4. vers. 4. *Quicquid creavit Deus bonum est, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur.* Oleo illi exorcizato efficacia singularis divina adscribitur, quasi per illud dona singularia distribuantur, & peccata remittantur: Cultus inde ipsi singularis exhibetur, quasi ei vis divina insit. Ergo.

65. 4. Confirmatione Pontificia Baptismus præcipuâ suâ virtute  
& efficaci-

& efficacia spoliatur. Derogatur enim omne illud Baptismo, quod confirmationi pontificiæ adscribitur, ut quod confirmatio perfectum Christianum efficiat, quasi Baptismo tenue, quoddam initium salutis sit adscribendum.

46. 5. Denique confirmatio illa, ejus administratio, & sumptio fieri nequit ex fide. Hæc enim est ex auditu verbi, *Roman. 10 v. 17.* At de eâ confirmatione nullum proferri potest verbum. Quare rectè illa improbat, & non admittitur.

### Finis Disputationis XXVIII.





## DISPUTATIO XXIX.

## DE SACRACOENA

Resp. M. Johanne Wetzelio Buliccano Hasso

## THESIS I.

**A**LTERUM N. Testamenti Sacramentum dicitur ab auctore, & institutionis tempore *Cæna Domini*, 1. Cor. II. v. 20. Alterum illud esse dicimus respectu *Baptismi*, quod est Sacramentum initiationis: hoc confirmationis: Unde in primitivâ Ecclesia catechumenis adultis Christo per Baptismum jam insertis, Eucharistia participanda dabatur. Ambrosius lib. de iis, qui initiant. myst. postquam de Baptis. Sacramen. egerat cap. subjungit. *His abluta plebs dives insignibus, ad Christi contendit altaria dicens: & introibo ad altare Dei, & ad Deum, qui letificat juventutem meam. Depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquila juventutem, cœleste illud festinat adire convivium.*

## SENTENTIA PROTESTANTIUM

2. Eucharistia est corporis Christi mediante vero & benedicto pane manducatio, & sanguinis Christi mediante vero, & benedicto vino bibitio ab ipso Christo ad sui recordationem instituta.
3. Author, causa principalis, & preses hujus convivii est Christus *ὁ ἀρτοποιός* Matth. 26. v. 26. Mar. 14. v. 22. Luc. 22. versic. 19. 1. Cor. II. v. 23. De hujus authoris potentiâ judicium fieri debet ex consideratione ipsius personæ. De voluntate ex institutionis verbis. Chrysostomus homil. 7. de pass. Ipse Christus preses est, inquit, & qui illam ornavit mensam hanc quoq; consecrat. Nō enim homo est, qui proposita panem & vinam, corpus, & sanguinem Christi facit, sed ipse Christus, qui pro nobis crucifixus est. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute ea, quæ proponuntur consecrantur, interveniente verbo, quo dicit: *Hoc est corpus meum.*
4. Causa ministerialis est minister Ecclesiæ: Ministri enim Ecclesiæ sunt

hæ sunt dispensatores mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. v. 1. Tit. 1. v. 7. Eminent verò inter mysteria hæc sacra Cœna. Et Sacramenta sunt externa sigilla, & promissionis Evangelicæ testimonia. Prædicatio igitur Evangelii, & Sacramentorum administratio sunt conjuncta.

5. *Materia in qua actio Sacramenti hujus occupatur est res terrena, & celestis. Res terrena est panis, & vinum.* Panem nominat Apostolus. 1. Cor. 10. v. 16. cap. 11. v. 26. Ut & Christus apud Evangelistas ante, in, & post actionem. Non igitur conversus fuit in corpus Domini.

6. Vinum ut aquâ misceatur necessarium non est. Nominatur enim genimen vini, h. e. fructus vini, quod ex uvis expressum fuit, Matt. 26. v. 29. Luc. 22. v. 18.

7. *Res celestis est corpus, & sanguis Domini.* Dicitur res celestis respectu modi præsentia, & dationis. Nam supernaturaliter adest & datur; Sed non respectu subiecti: Verum n. & substantiale corpus manducamus sub pane, & verum sanguinem bibimus sub vino: Siquidem illud corpus manducamus sub pane, quod pro nobis est datum in mortem, & illum sanguinem bibimus sub vino, qui pro nobis est effusus, Matth. 26. v. 26. 27. Mar. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 24. Hoc autem corpus natum est ex Mariâ virgine. Ergo non conficitur à Sacerdote ex pane.

8. *Forma Eucharistia est actio à Christo in institutionis verbis determinata circa materiam hujus Sacramenti propriam:* Consistit verò in datione, & sumptione, seu in panis & vini benedictione, distributione, & benedicti panis, & corporis manducatione, atque benedicti vini, & sanguinis Christi bibitione.

9. *Finis sacra Cœna primarius est fidei confirmatio:* Proponitur iste his verbis: *Hoc facite in mei commemorationem.* Minus principales fines sunt, Deo obedientiam, Christo gratam beneficii memoriam, hominibus poenitentiam nostram ostendere, & consensum in doctrinâ comprobare.

#### SENTENTIA PONTIFICIORUM

10. Vi divinorum verborum sic transmutatur materia panis, & vini, ut convertantur in corpus, & sanguinem Christi. Concilium Trident. Sess. 13. Can. 2. *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistia Sacramento remanere substantiam panis, & vini, unâ cum corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi, negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem*

totius substantia panis in corpus, & totius substantia vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conversionem catholica Ecclesia aptissime Transsubstantiationem appellat anathema sit.

11. Panis igitur consecratus, & vinum consecratum etiam extra usum sunt Sacramentum, Concilium Tridentinum Sess. 15. Can. 4. Si quis dixerit, peracta, consecratione, in admirabili Eucharistia Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur, non ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.

12. Itaque sub specie panis non tantum corpus, sed & sanguis, & sub specie vini non tantum sanguis, sed & corpus Christi manducatur, & bibitur, Bellarminus lib. 4. cap. 21. 22.

13. Fructus, & effectus Eucharistiæ est ut sit sacrificium impetratorium. & propitiatorium pro vivis, & mortuis, Bellarminus libr. 2. de Missa cap. 2. & seqq.

#### STATUS CONTROVERSIAE

14. Gravissimos alunt Pontificii errores de Sacramento Eucharistiæ, cujusmodi sunt primò communes de consecratione, quæ quodammodo est magica: de lingua peregrina, & astantibus ignota. Secundò proprii, 1. de symbolis, utpote de pane, quem azimum esse oportere, nonnulli contendunt de vino, quod aqua in sacro calice temperandū esse opinantur. 2. De transsubstantiatione. Fingunt n. Pontificii vi divinorum verborum sic transmutari naturam panis, & vini, ut convertantur in corpus & sanguinem Christi. 3. De re caelesti Eucharistiæ, corpore nianirum & sanguine Christi. Nam statuunt, ea per conversionem adductivam mutari, & accipere esse Sacramentale sub speciebus panis, & vini, Bellarm. lib. 3. de Sacram. Euchar. cap. 18. 4. De concomitantia: Fingunt enim naturalem connexionem, quâ fieri, ajunt, ut sub specie panis non solum corpus, sed & sanguis, & sub specie vini non solum sanguis, sed & corpus Christi manducetur, & bibatur. 5. De consecratione asservata hostiæ, ejus in solennibus processibus circumgestatione, & adoratione. 6. De Missæ sacrificio: Fingitur enim sacrificulus, incruente offerre Christum, qui in ara crucis semel semetipsum cruentè obtulit. 7. De sacrificio impetratorio, & propitiatorio: Fabulantur enim Pontificii, sacrificium illud ministerio Sacerdotis offerri

pro pœnis, culpis levibus, gravibus, mortalibus, pro satisfactionibus, & aliis necessitatibus. *Prodesse defunctis pariter, ac vivis: Defunctis vel in purgatorio constitutis, & defudantibus, vel in cœlo viventibus: Illis ad pœnam minuendam; his ad gaudium amplificandum. Vivis conferre scribunt, malorum corporalium propulsationem, regnorum, urbium, & familiarum defensionem, hostium & morborum depulsionem, &c. Esse simul, ajunt, sacrificium illud bonorum temporalium, & spiritualium impetratorium.* 8. *De variis ritibus, & gestulationibus, cujusmodi sunt vestes missaticæ, & requisita alia in Missæ celebratione necessaria &c. Cùm autem errores istos in unâ Disputatione sufficienter examinare nequeamus: distinctis collationibus de istis agemus.*

15. *Quæstio prima: An per consecrationem substantia panis & vini deperdatur, ac in substantiam, corporis, & sanguinis Christi mutetur: Seu: An vi divinorum verborum sic transmutetur natura panis, & vini, ut convertatur in corpus, & sanguinem Christi, nudis tantummodò eorum accidentibus permanentibus?*

16. *Resp. Concilium Tridentinum Sess. 13. Cap. 4. Quoniam, inquit, Christus redemptor noster, corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; idèd persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc deus sancta hac synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantie panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantie vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio conventer & propriè à catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata. Alphonsus Salmeron tom. 9. pag. 108. Necessariò, ait, statuenda est transsubstantiatio, tum ut excludatur Panis & vini substantia, quam Lutherus, & alij admiserunt; tum ut verba Domini vera inveniantur; tum ut infinita Patrum testimonia de conversione, commutatione, transformatione, sanctificatione consecratione benedictione; (tot enim ferè nominibus appellata ab illis transsubstantiatio est) firma sint, & non inania, vel futilia, tum deniq; ut solidam corporis, & sanguinis Christi presentiam absq; ullo loci motu tueri possimus. Nam quod in ipsum Christi corpus, quod in Cælo est, mutatur, non indiget aliquo locali motu, ut esse incipiat. Eckius cap. 36. In Sacramento, inquit, Eucharistie substantia panis convertitur in substantiam corporis Christi, sic quod non manet substantia panis. Videatur idem in Homil. Tom. 4. capit. 30. p. 88. Bellarminus scribit libr. 3. de Eucharist. capit. 19.*

*Catholica Ecclesia docet panem converti in corpus Domini, & eam conversionem esse propriam rationem presentiae corporis Domini in Eucharistia. Et capit. 23. dicit. Dogma transsubstantiationis ad fidem catholicam pertinet, quia colligitur ex Scriptura divina secundum appellationem communem Patrum, & juxta declarationem Ecclesiae in Conciliis generalibus. Videatur etiam Costerus pag. 321. & alii.*

17. Fingunt verò Pontificii verba illa: *Hoc est corpus meum esse instrumenta transsubstantiandi substantiam panis in Christi verum corpus.* Salmeron Tom. 9. pagin. 80, scribit: *In primis illa verba, hoc est corpus meum, forma sunt Sacramenti Eucharistiae, quâ Christus ipse Dominus benedixit, & quâ Christus nos voluit benedicere, & conficere tantum Sacramentum. Idem: Statuendum est, in primis his verbis, quæ à Matthæo, & Marco referuntur, hoc est corpus meum, Ecclesiam particulam enim addere: Nam Sacerdos dicit: Hoc est enim corpus meum: Illa autem particula, non est de essentiâ, sed de præcepto: ne videlicet scienter ab aliquo omittatur. Tole- tus libr. capit. 27. de instruct. Sacerdot. verba illa sic efficacia esse statuit, ut sint instrumenta transsubstantiandi substantiam panis in Christi verum corpus, ita ut post prolationem, in illâ hostia non sit panis ulla substantia, sed sola accidentia ipsius, scilicet, quantitas cum colore, & sapore, odore, & primis qualitatibus, quæ dicuntur species panis, sub quibus est verum corpus Christi præsens. Ludovicus Molina quæstion. 14. Articul. 13. disputat. 53. de libro arbitrio opinatur, fieri Transsubstantiationem istam per totius Trinitatis supernaturalem influxum in accidentia, & hæc existere in seipsis, non quasi recipiant novum esse, sed illud idem independens jam supra ipsorum naturam à subiecto per influxum novum. Bellarminus libro. 1. de Eucharist. capit. 11. Tota, inquit, quæstio est, utrum illa verba, Hoc est corpus meum, dicantur ad explicandum Sacramentum, an ad instituendum, vel conficiendum, vel potius non est quæstio; sed certum est dici ad instituendum, & conficiendum Sacramentum. Nam apud Catholicos hæc verba sunt de essentiâ Sacramenti, & sunt operativa.*

18. Verùm Oedipo opus non esse statuunt Proteſtantes ad veram indagandam causam, cur Pontificii pro fulciendâ, & stabilien- dâ transsubstantiatione tantoperè laborent: Non est verò hæc causa, quasi vera, & substantialis corporis, & sanguinis Christi præsentia,

exhibitio, & sumptio non possit aliter doceri, & credi; Sed ut sacrificium Missæ, panis benedicti asservatio, circumgestati adoratio &c. retineri, & sub aliqua veri specie obrudi possint.

20. Quare refutamus eam sequentibus fundamentis. 1. *ab autoritate Scripturæ fidei dogmatum fundamento*; Omne dogma fidei habetur in Scriptura. Atqui dogma Pontificium de Transsubstantiatione neque quoad nomen, neque quoad rem habetur in Scriptura. Ergo non est dogma fidei.

21. Majorem probavimus in Disputationibus de Scriptura: Hæc enim est adeo perfecta, ut ipsi nihil sit addendum, nihil detrahendum: Et qui eam scrutantur, habeant vitam æternam: Qui vero secundum verbum hoc non dixerint, ut eis matutina lux non sit futura.

22. Minoris veritas cognoscitur ex consideratione ineptiarum papalium. Imò nonnulli ex scholasticis fatentur disertè, nec symbolis fidei, nec verbis Scripturæ cogi nos ad Transsubstantiationis dogma.

23. *Opponit Bellarminus lib. 3. de Euchar. cap. 23. vocabula nonnulla, ut ὁμοιωσις, θεοτοξια, qualicet in Scriptura non legantur, approbantur tamen in Conciliis Nicæno, & Ephesino. Resp. Sufficit, quòd vocabulis illis significatæ res sint in Scriptura: Est enim aliquid in Scriptura, quod in ea non dicitur; At Transsubstantiatio, ut non dicitur, ita nec est in Scriptura.*

24. 2. *A clara litera, cui Transsubstantiationis dogma adversatur: Evangelistæ, & Apostolus nominant panem non solum ante consecrationem, sed etiam post eam, & actionem sacramentalem, nec unquam commentitiæ hujus conversionis meminerunt. Ergo Pontificii nudam panis speciem, & nuda accidentia propugnantes Evangelistis & Apostolo adversantur. Evangelistæ dicunt, Matth. 26. v. 26. Mar. 14. v. 22. Luc. 22. v. 19. Cœnantibus illis accepit Jesus panem, benedixit, fregit, ac dedit illis dicens, hoc est corpus meum. 1. Cor. 10. v. 16. Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? 1. Cor. 11. v. 26. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Vers. 37. Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. V. 28. Probat seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

25. Varia regerunt Pontificii nescientes, ubi certò pedem figant. Exceptio prima hæc est: *Christi corpus appellatur panis, quia est cibus spiritualis, panis Angelorum, nutrimentum anima*, Eckius in Enchir. pag. 212.

26. Resp. 1. Confunditur sensus nativus cum modificato. Est igitur elenchus mutatae prædicationis. Nam *Joh. 6.* & alibi ubi de spirituali agitur manducatione, vocabulum *panis* usurpatur metaphoricè; At *1. Cor. 11.* accipitur propriè de vero pane. Nam *1. Cor. 11. v. 23.* dicitur Christus accepisse panem, & gratiis actis fregisse, ac dixisse: *accipite. comedite*, Unde *v. 27.* ita infert Apostolus: *itaque quisque ederit panem hunc indignè.* Copula igitur rationalis ostendit connexionem illius sermonis Sic igitur inferimus: vocabulum panis accipitur uno eodemque modo in *v. 23. 27.* nempe propriè, aut quatuor erunt termini in syllogismo Apostolico.

27. Exceptio secunda: *Nominatur panis ex pristino nomine, sive termino à quo, quia ante fuit panis: similiter Exod. 7. Virga Aaron vocatur virga antequam verteretur in colubrum, & rursus in eodem capitulo vocatur virgo, cum esset coluber, non virga: Devoravit, inquit Scriptura, Aaron virgas Magorum. Sic Gen. 3. Eva dicitur os Adami. Matth. 11. Dicuntur cæci videre, & claudi ambulare. Matth. 21. dicuntur publicani, & meretrices precedere in regnum Cælorum.* Eckius l. d.

38. Resp. 1. Bellarminus ipse dicit lib. 1. de Euchar. cap. 14. *Hæc solutio non videtur solidissima, quia est particularis. 2. Imò est nulla: quia ex Pontificiorum hypothese de pane remanent accidentia, quod de citatis nequit affirmari exemplis. 3. Exempla illa sunt dissimilia: Nam ut unum attingamus, Exod. 7. expressè dicitur virga in colubrum versa. Docet igitur manifesta conversio. Probanda sic etiam manifestis scripturæ dictis transsubstantiatio.*

29. Regerit Bellarminus aliud, inquit, exemplum ex ipso Paulo adduci potest, ubi nulla notatur conversio, & tamen idem nomen variè accipitur, *1. Cor. 10. cum dicitur, panis, quem frangimus, de pane triticeo loquitur Paulus secundum Lutheranos: Et tamen ibidem Paulus ait: Vnus panis multi sumus, ubi non de pane triticeo, sed de Ecclesia loquitur.*

30. Resp. 1. Mittimus quod utrobique vocabulum panis accipiat secundum Pontificios tropicè. 2. Vocabulum, *panis 1. Cor. 10. v. 16.* metaphoricè accipiendum esse declarat ipse textus: *Ut enim nos*

unum

unum corpus sumus, ita sumus, & unus panis. Atqui non naturaliter, sed mysticè sumus unum corpus. Ergo. 3. At post consecrationem panem sacramentalem 1. Cor. 11. v. 23. 27. propriè dici panem, & non metaphoricè arguit ipsa sermonis connexio.

31. Exceptio tertia: *Scriptura vocat ordinariè res ut exterius apparent: Sic enim serpentem aneum vocat serpentem: Angelos, qui apparebant in forma humana, vocat viros: Boyes aneos, malogranata aurea, & similia ornamenta templi simpliciter vocat boves, malogranata, &c. Quoniam igitur Eucharistia forma exteriorè nihil differt à vero pane, quid mirum si vocatur panis?* Bellarminus lib. 1. c. 14.

32. Resp. 1. Hoc sensu æquivocè diceretur panis, & æquivocè accidentia panis. Nam æneus serpens æquivocè dicitur serpens, ut & leones in templo Salomonis æquivocè dicuntur leones. 2. Moses expressè addit, qualis fuerit serpens, nimirum non verus, sed æneus; Et leones in templo Salomonis fuerunt picti, & sculpti; Ergo non veri. At quâ vel literâ docetur apud Paulum, panem propter exteriorem tantum appellari figuram?

33. Exceptio quarta: *Vocatur panis phrasi hebræâ, quia nomen panis intelligitur generatim omnis cibus*, Bellarminus l. d.

34. Resp. 1. Est petitio principii: Probanda enim erat significatio illa de hoc loco 2. Apostolus 1. Cor. 11. v. 26. 27. 28. Addit particulam *δεικτικῶν* notanter dicens panem Hunc, cum ante benedictionem absolutè nominavit panem: Particulâ illâ demonstrativâ docet qualis panis sit intelligendus, nimirum non transmutatus, sed idem ille, quem Christus acceperat, fregerat, dederat.

35. 3. *A differentia panis communicantis & corporis Christi communicati: Nulla participatio est propriè sui ipsius. Atqui panis benedictus est corporis Christi participatio. Ergo.*

36. Majoris veritas cognoscitur vel ex relatorum naturâ. Verfantur enim illa inter duo. Communicatio vero est relatio. Quamvis igitur propter unionem sacramentalem panis & corpus Christi sint unum sacramentale, tamen cum panis verè dicatur communicatio corporis Christi, distinctus sit oportet à corpore Christi: Inde dicitur non mutatus in corpus Christi. Inde etiam tam res terrestris, quàm cœlestis in sacrâ Cœna suum nomen, definitionem, & naturam retinet, uti fit in unione, sed non in Transmutatione.

37. Minor est Apostoli Pauli, 1. Cor. 10. vers. 16. Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? panis, quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est.

38. 4. Ab origine transsubstantiationis: Nullum dogma fidei gaudet, & nititur origine, & autoritate nudâ humanâ: Fidei enim fundamentum est verbum Dei. Rom. 10. Atqui gaudet & nititur eâ transsubstantiatio. Ergo.

39. Minorem accuratissimè ostendit Dn. Chemnitius in Exam. Con. Trid. Nam cum apud Damascenum in lib. 4. c. 14. Apud Theophylactum in cap. 14. Marci. vocabula μεταβολα, & μεταποίησις, mutatio, transformatio, transelementatio occurrere Lombardus observaret; cæpit ipse circa annum Christi 1170. in lib. 4. sententiarum distinct. 10. lit. D. affirmare, panem converti in corpus Christi. Ex his, inquit, aliisq̄ue pluribus constat, verum corpus Christi, & sanguinem in altari esse, imò integrum Christum, ibi sub utraque specie, & substantiam panis in corpus, viniq̄ue substantiam in sanguinem converti. Distin. 11. lit. A. Si queritur, inquit, qualis sit illa conversio, an formalis, an substantialis, vel alterius generis: Definire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco: quia species rerum, quæ antè fuerant, remanent, & sapor, & pondus. Lit. C. Nec tamen, inquit, concedunt quidam, quod substantia panis aliquando sit caro Christi, et si fiat caro Christi: Sicut farina facta est panis, & aqua facta est vinum: Nec tamen dicitur: Farina est panis, & aqua est vinum. Alii verò concedunt illud, quod erat panis, vel vinum, post consecrationem esse corpus, & sanguinem, non tamen sequitur: Panis est caro Christi, vel vinum, est sanguis: quia substantia panis & vini postquam facta est caro Christi vel sanguis, non est substantia panis, vel vini, sed caro, & ibidem lit. D. Quidam verò sic dicunt, conversionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus, sub quibus erat prius substantia panis, & vini, post consecrationem sit substantia corporis, & sanguinis: Sic tamen, ut non eis afficiatur, & sic asserunt, dictum panem transire in corpus Christi: quia ubi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis, & vini? Illi dicunt, vel in præiacentem materiam resolvî, vel in nihilum redigi. Alii verò putaverunt, ibi substantiam panis, & vini remanere, & ibidem corpus Christi esse & sanguinem. Et hac ratione dici illam substantiam fieri istam: quia ubi est hæc, & est illa, quod mirum est: & ipsam substantiam panis, vel vini dicunt esse Sacramentum.

40. Sic Lombardus de sacrâ Cœnâ potius ex suo cerebro; quam ex scripturâ disputans occasionem dedit altercandi de transsubstantiatione, donec Innocentius I I I. circa annum Christi 1220. in Concilio Lateranensi modum conversionis primus determinaret. Quâ de re dicitur in Decretal. Gergorii Papæ lib. 1. Tit. 1. *Vna est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur. In qua idem ipse sacerdos est sacrificium Jesus Christus: cujus corpus, & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continentur, transsubstantiatu pane in corpus, & vino in sanguinem.*

41. 5. *A consideratione carnis Christi*: Caro Christi, quæ datur nobis in sacrâ Cœnâ, est nata ex Maria virgine. Atqui caro, quæ ex pane à Sacerdote conficitur, non est nata ex Maria virgine. Ergo non est caro Christi. Item: Caro ad bibendum instituta pependit in cruce, & sanguis ad bibendum ordinatus effusus est pro nobis in remissionem peccatorum. At non caro illa, quæ conficitur à Sacerdote ex pane. Ergo.

42. 6. *Ab adjuncto passionis*: Corpus Christi non patitur passionem, Act. 2. v. 28. Non sine ut sanctus tuis videat corruptionem. Atqui substantia, quæ sub nudis panis, & vini speciebus dicitur esse, seu panis consecratus, & vinum consecratum patitur corruptionem, quia vinum illud asservatum accessit, panis putrescit. Ergo.

43. 7. *Ab analogia fidei*: Omne Sacramentum secundum analogiam fidei constat verbo & elemento: Accedat enim verbum ad elementum, & fit sacramentum. Irenæus dicit ad vers. hæres. cap. 34. *Eucharistia constat duabus rebus, terrenâ, & cœlesti.* Atqui non sola accidentia veniunt nomine Elementi. Ergo. Vel ita: In quolibet Sacramento requiritur ut sint duæ res, materia & forma, res terrena, & cœlestis: Verbum enim accedens ad elementum facit Sacramentum. Ergo Pontificia transsubstantiatio repugnat naturæ Sacramentorum, quippe quæ tollit materiam, seu rem terrenam. Deinde Sacramenta sunt instituta ad confirmandam fidem rerum invisibilium per signa visibilia. Jam vero si panis Eucharisticus desinit esse panis, certè fides nostra hoc Sacramento non confirmabitur, & nos in simbolo externo ludificamur. Denique analogia est inter Sacramentum, & rem Sacramenti: Panis enim benedictus est organum & medium idoneum ad distributionem corporis, & vinum benedictum est organum; ac medi-

ac medium idoneum ad distributionem sanguinis, vel ut cum Apostolo loquamur, panis benedictus est *κοινωνία* corporis Christi, & vinum benedictum est *κοινωνία* sanguinis Christi. Tollitur verò analogia illa per transsubstantiationem.

44. Excipit Bellarminus. 1. *Substantia panis, inquit, non pertinet ullo modo ad rationem Sacramenti Eucharistia, sed sola accidentia externa. Sacramentum enim est signum sensibile, cui per accidens est, ut habeat substantiam annexam, vel non habeat. Ibidem: Res terrena in Eucharistia sunt species illa sensibiles, quæ terrenis sensibus percipiuntur, 2. Ad fidem confirmandam rerum invisibilium, satis est, si externum signum verè percipiatur, etiam si non sequatur effectus ejus signi, ut est res naturalis.*

45. Resp. 1. Externum elementum in quolibet Sacramento esse non accidentia, sed substantiam, facile per inductionem colligitur. 2. Verbum Sacramentale transfert quidem panem ab usu vulgari ad sacramentalem, sed ipsam substantiam non transmutat. 3. Num aqua Baptismi transmutatur in Trinitatem? 4. Signum signat quidem respectu accidentium, sed non sunt hæc sine subjecto, seu substantiâ. Ergo sine hac non signant.

46. 8. *A perpetuis contradictionibus: Dogma enim Pontificiorum de Transsubstantiatione laborat variis, & perpetuis contradictionibus. Ergo haberi nequit pro articulo fidei. De antecedentis veritate testatur vel solus liber Wilhelmi Holderi, cui est titulus: *Musexenteratus*. Et annon varia, ineptæ, & insulsæ quæstiones inde de sacrâ Cœnâ sunt motæ: utpote de verbis, quibus fiat Transsubstantiatio: qualis sit conversio: de accidentibus panis: de tempore, quo fiat Transsubstantiatio: de aqua vino admixtâ, de vermibus, qui nascuntur ex speciebus Eucharistiæ asservatis, &c.*

47. 9. *A variis absurdis: Parit enim dogma Transsubstantiationis plurima absurda: Nam appellatio panis in verbis Cœnæ simul propriè, & tropicè positâ transsubstantiatione erit intelligenda: annihilatio concedenda: Veritas externorum elementorum neganda: Christo duo corpora assignanda, unum ex Mariâ virgine assumptum, alterum ex pane formatum, &c.*

48. 10. *A consensu piorum patrum: Hi enim non nuda accidentia panis, & vini propugnant, sed panem & vinum in Sacramento hoc agnoscunt. Ignatius scribit Epist. 6. ad Philadelp. *Vna est caro Domini**

nostri Jesu Christi, & unus illius sanguis, qui pro nobis effusus est, & unus calix, qui pro nobis omnibus distributus, unus panis, qui omnibus fractus. Pontifex Gelasius scribit: Sacramenta, quae sumimus, corporis, & sanguinis Christi, divinae res est: propter quod, & per eadem divina effici-mur consortes naturae: Et tamen non desinit substantia vel natura panis, & vini.

49. Praecipuum verò fundamentum, quod pro transsubstantiatione defendenda urgent Pontificii desumunt ex verbis Christi, accipite, manducate hoc est corpus meum. Costerus scribit in Enchiridi. pagin. 321. Fides Ecclesiae Catholica docet, non solum in hoc Sacramento nobis adesse corpus, & sanguinem Domini, sed vi divinorum verborum sic transmutari naturam panis, & vini, ut convertantur in corpus & sanguinem Christi: Neque post consecrationis verba panem esse, aut vinum, sed corpus, & sanguinem Domini: CHRISTVS enim, dum porrigens hoc Sacramentum diceret, hoc est corpus meum, aperte indicavit, quicquid porrigeret, & totam illam substantiam; quam manibus teneret, esse corpus suum, nec aliam adesse substantiam praeter corpus suum: alioquin dicere debuisset, hic est corpus meum, id est, cum pane, vel sub pane, vel in pane. Bellarminus dicit libro, de Eucharist. capit. 19. Verba illa, Hoc est corpus meum, necessario inferunt, aut veram mutationem panis, ut volunt Catholici, aut mutationem metaphoricam, ut volunt Calvinistae; nullo autem modo sententiam Lutherantium admittunt. Nam panem benedicendo mutavit in corpus reipsa verè, & proprie, vel mutavit improprie, & figuratè addendo significationem, quam non habebat, vel nullo modo mutavit. Si mutavit re ipsa verè, & proprie, ergo panem mutatum dedit, & de pane mutato verissime dixit: Hoc est corpus meum, id est, quod sub specie panis continetur, non est amplius panis, sed corpus. Si quis dicat, nullam fieri mutationem, is cogetur dicere, panem non mutatum datum esse Apostolis, & de illo esse dictum, hoc est corpus meum. Atqui hoc nullo modo admitti potest, sive agamus de re ipsa, sive de Propositione. Hinc etiam nullus Evangelista dicit cum hoc, aut in hoc, sed hoc est corpus meum. Breviter: Aut CHRISTVS panem mutatum dedit discipulis aut non mutatum. Falsum verò hoc, quia post benedictionem dixit: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Ergo dedit mutatum: Et per consequens in corpus Christi conversum.

50. Respond. Plus est in consequente, quam ex praemissis po-

sis potest inferri. Et à non distributo ad distributum non valet consequentia. Non sequitur, accidit pani per benedictionem mutatio. Ergo convertitur in corpus Christi. Nam mutatio est duplex: Substantialis, & Sacramentalis: Panis per consecrationem mutatur non substantialiter, ut in præcedentibus ostendimus; Sed sacramentaliter, hoc est, ab usu vulgari destinatur ad usum sacrum, ut sit instrumentum, & medium, in quo, cum quo, & per quod corpus Christi distribuatur, exhibetur, & manducetur.

51. Regerunt: *Disparatum de disparato affirmatè predicari nequit. Atqui panis & corpus CHRISTI sunt disparata. Ergo unum de altero affirmatè predicari nequit. Et per consequens panis in corpus Christi est transmutatus, estque predicatio identica.* Bellarminus dicit: *In propositione affirmativa necesse est, ut pro eodem supponant subjectum, & predicatum, alioquin esset falsa predicatio. Non igitur potest fieri, ut vera sit propositio, in qua subjectum supponit pro persona; Predicatum autem pro corpore Christi. Panis enim, & corpus Domini res diversissimæ sunt.*

52. Respond. 1. Argumentum non fluit ex Christi verbis, sed inferitur ex regula Logicorum de duobus Disparatis perperam accommodatâ. 2. Confunditur prædicatio singularis & inusitata cum regulari, & usitata. Disparatum de Disparato sine tropo affirmatè prædicatur propter unionem singularem, & mysticam. *Qualis enim est unio talis est etiam predicatio.* Hujusmodi prædicationes sunt personales, & Sacramentales. Personales sunt, in quibus propter unionem hypostaticam prædicatur in concreto natura divina τὸ λόγος de humana assumpta, & contrâ, verbum est caro, Filius Mariæ est filius Dei vivi, Deus est homo. Sacramentales sunt, in quibus propter unionem sacramentalem prædicatur res cœlestis de Elemento terreno, ut panis benedictus est corpus Christi. Prædicatur verò corpus Christi de pane non simpliciter, sed in usu sacramentali: Unde subjecto additur, *Panis benedictus, panis fractus, &c.* Inde percipitur causam prædicationis hujus esse unionem sacramentalem. 3. Est igitur panis corpus Christi nec propriè, nec tropicè, sed sacramentaliter, & mysticè. 4. Si quis verò Canonem Logicum, *Disparatum de disparato affirmatè predicari nequit*, etiam huic mysterio velit accommodare, addat oportet limitationem, nimirum quod extra unionem prædicari

nequeat, licet id fieri possit in unione. Nam disparata quidem inter se differunt; Sed non sunt contradictoria. Ergo divinâ virtute possunt uniri, ut certo modo fiant unum, atque ita de se invicem respectu illius unionis prædicentur.

53. 5. Tres sunt prædicationes sacramentales. Prima est ipsius Christi, & Evangelistarum: (*Hoc est corpus meum*) Altera est Apostoli Pauli: (*Panis est communicatio corporis Christi*) In qua mutato subjecto mutatur etiam prædicatum, & non simpliciter dicitur panis est corpus Christi, sed est *panis* corporis Christi. Tertia est scriptorum Ecclesiasticorum veterum, & recentiorum: (*panis est corpus Christi*) Hi enim, ut expressè docerent præsentiam veram corporis Christi in Cœnâ, prædicatione eâ sunt usi. Cum autem prædicatio illa non totidem literis, & syllabis occurrat in scriptura, sed gaudeat autoritate humana, admittenda omninò est ea interpretatio prædicationis, quâ ipsi dederunt authores, nempe, *in, cum, & sub pane est corpus Christi*, intellige non inclusivè, & naturaliter, sed sacramentaliter, veluti prædicatio illa *homo est Deus* explicatur his verbis: *Deus erat cum illo*, Act. 10. v. 38.

54. Prædicationes verò Christi: *Hoc est corpus meum*, hoc est *sanguis meus* nominari communiter solent synecdochicæ: Nam subjectum (*Hoc*) comprehendit duo, nimirum utrumque unitorum, visibile, & invisibile, minus principale, & principale, panem & corpus: Christus enim non solùm panem, sed etiam cum pane suum corpus exhibet. In prædicato verò illud, quod in oculos non incurrit, & est principale, exprimitur, nimirum corpus Christi. Illustrantur prædicationes istæ prædicationibus aliis partim ex scriptura, partim ex quotidiano usu desumptis, qua de re consulatur Dn. Chemnitius in lib. de fundamentis Cœnæ cap. 4.

55. Hujusmodi sunt exempla, in quibus duo unita simul vel demonstrantur, vel exhibentur, ut *Matth. 16. v. 17. Tu es Christus Filius Dei vivi*. Pronomen (*Tu*) notat totam personam: In prædicato exprimitur divina natura, quæ per se in oculos non incurrebat, sic Christus propter unionem sacramentalem rectè dixit exhibens panem benedictum, *hoc est corpus meum*. Sic Christus sufflans in discipulos dicit: *Joh. 20. v. 23. Accipite spiritum S.* In Baptismo Christi apparet Spiritus S. in specie columbæ, *Matt. 3. v. 17. Luc. 3. v. 22. Joh. 1. v. 32*. Verè igitur dicebat Johannes *Vidi spiritum descendentem quasi columbæ de Cælo*. Jehova se in

se in V. Testamento peculiari modo in externa visione præsentem exhibebat, *Gen. 32. v. 24. 30. Esa. 6. vers. 1.* Et Angeli in externis formis ad tempus assumptis Patriarchis ac Prophetis apparebant. Rectè igitur dicebant pii, se & Deum, & Angelos vidisse. Jacobo Angeli occurrerant, qui dixit videns eos, castra Dei hæc, *Genes. 32. vers. 1. 2.* Elevatâ arcâ Domini, eâque progrediente dicebat Moyses *Numer. 10. versic. 35.* Exurge Jehova, & dispergantur inimici tui, quod repetit David *Psal. 69. v. 2.* In quotidiano usu exempla ejusmodi sunt trita: Ostenso enim marsupio, quod continet thesaurum rectè dieo: *Hoc est thesaurus: Ostensis cunis, in quibus dormitat infans: Hoc est infans.* &c. Ita Christus porrigens discipulis suis panem benedictum dicebat: *Hoc est corpus meum* absque panis transubstantiatione: Sacramentaliter enim corpus cum pane erat unitum.

56. Quæstio secunda: Num nuda accidentia panis ut albedo, sapor, &c. in sacra Coena maneant, atque per se subsistant, & nulli substantia inherant?

57. Resp. 1. Communis Entis divisio est, quod vel sit in subiecto, ut accidens, vel extra subiectum, ut substantia. Quicquid igitur per se subsistit est substantia. Atqui nullum accidens est substantia. Ergo. 2. Unde vulgaris accidentis est descriptio, *quod ejus esse sit inesse, seu inherere.* 3. Accidentia igitur panis & vini, ut sunt sapor, color, & odor, aut insunt Christi corpori, aut accidentibus post consecrationem residuis, aut pani, & vino. Non illud: Non enim corpus Christi recipit, in se panis accidentia, & quæ illa nova esset μεταμωρως? Nec hoc Accidentia enim accidunt substantiæ, & non accidenti. Ergo.

58. Quæ contra opponunt Pontificii, non faciunt ad scopum: Non enim quæritur de Dei potestate, sed de ejus voluntate. Imò Thomas disputat p. 3. quæst. 77. Fieri non posse, ut miraculose definitio rei ab aliqua re separetur.

59. Quæstio tertia: Num panem Eucharisticum oporteat esse azymum?

60. Respond. Bellarminus libr. 4. de Eucharist. c. 7. Ex instituto Christi, inquit, in Eucharistia azymo utimur. Videatur etiam Toletus libr. 2. de instit. Sacerd. c. 25.

61. Docent verò Protestantes, rem esse indifferentem pane azymo, vel fermentato uti. Utimur igitur liberè pane azymo ab Ecclesiæ

clesiæ consuetudine non temerè recedentes. 1. Propter Christi exemplum, qui celebravit Cœnam post usum agni paschalis, *Matth. 26. vers. 18.* Eo verò tempore utebantur Judæi pane tantùm azymo, *Exod. 12. vers. 8. Levit. 23. v. 7.* 2. Ob varias & pias commonefactiones de corpore Christi nullo peccati fermento polluto. 3. Ob typum agni paschalis: Comedebatur enim iste cum pane azymo.

62. Non est verò usus panis azymi simpliciter necessarius, 1. quia nullum de eo extat in N. Testamento expressum mandatum, 2. quia fermentum substantiam panis non mutat, sed qualitates tantùm alterat. Tam igitur panis fermentatus esse potest *κοινωνία* corporis Christi, quàm azymus. 4. Et non inutilia ad memoriã revocare potest, cum totam alteret massam.

63. Quæstio quarta: Num vinum Eucharisticum sit aquã necessariò miscendum?

64. Respond. 1. Non est à Christo mandatum. 2. Evangelistæ mentionem faciunt non mixti vini, sed solius, & meri vini, *Matth. 26. vers. 29. Mar. 14. vers. 25. Luc. 22. vers. 18.* 3. Mixtio illa est traditio humana. Ergo non est cultus religiosus nec dogma fidei.

Finis Disputationis XXIX.





DISPUTATIO XXX.  
DE CONSECRATIONE ET MUTILATIONE  
Cœnæ.

Resp. Theodoro Costero Susatensi Westphalo.

THESIS I.



Præmissio de Pontificiâ consecratione oritur ex fingente de substantiali panis & vini in corpus & sanguinem Domini transmutatione. De hac igitur, ut & de factæ cœnæ mutilatione pergimus agere.

SENTENTIA PROTESTANTIUM

2. Consecrationis igitur sensum legitimum his tradunt verbis authores Formulæ Concordiæ pag. 599. *Quod ad consecrationem attinet, credimus, docemus, & confitemur, quod nullum opus humanum, neq; ulla ministri Ecclesiæ pronuntiatio presentia corporis, & sanguinis Christi in Cœnâ causa sit, sed quod hoc soli omnipotenti virtuti Domini nostri Jesu Christi sit tribuendū, Interim tamen unanimi consensu credimus, docemus, & confitemur, in usu Cœnæ Dominicæ verba institutionis Christi nequaquam omitrenda, sed publicè recitanda esse, sicut scriptum est: Calix benedictionis, cui benedicimus nonne communicatio sanguinis Christi est? &c. Illa autem benedictio fit per recitationem verborum Christi*

3. Et pag. 749. scribunt: *Hac benedictio seu recitatio verborum institutionis Christi sola non efficit Sacramentum, si non tota actio Cœnæ, quemadmodum ea à Christo ordinata est, observetur. Verbi gratia: cum benedictus panis non distribuitur, sumitur, aut participatur; Sed vel includitur, vel sacrificatur, vel circumgestatur: Mandatum enim Christi (Hoc facite) quod totam actionem complectitur, totum, & inviolatum observandum est. Ad hujus autem Sacramenti administrationem requiritur, ut in conventu aliquo piorum panis & vinum benedictione consecrentur, dispensentur, sumantur, hoc est, edantur, & bibantur, & mors Domini annuncietur. Ad hunc enim modum D. Paulus 1. Cor. 10. totam actionem, in qua panis frangitur, seu distribuitur, & sumitur, ob oculos nobis proponit.*

Cccc

4. Confe-

4. Consecratio igitur non consistit in aliqua occultâ vi, seu facultate, quæ unionem Sacramentalem etiam extra usum efficiat. Hæc enim non est extra usum. Etiam si igitur vel millies Institutionis recitentur verba, non tamen unitur corpus cum pane nisi in ipso usu. Hinc est regula: *Nihil habet rationem Sacramenti extra usum à Christo institutum, seu extra actionem Sacramentalem divinitus institutam.*

5. Cave per usum seu actionem hoc loco intelligas usum salutarem, qui dependet à fide. Fides enim non facit, ut Sacramentum sit, sed ut profit; Appellatione verò usus intelliguntur actiones visibiles à Christo institutæ, ut sunt: Benedictio, distributio, sumptio, manducatio, & bibitio.

6. B. Lutherus dicit Tom. 3. Jen. p. 446. Etiam si de omnibus partibus hæc verba pronunciarem: *Hoc est corpus Christi, nihil tamen eare efficeretur. At quando ad ipsius mandatum, & institutionem in administratione Cœna Dominica dicimus: hoc est corpus meum: tum revera est ipsius corpus. Non propter nostram pronuntiationem: aut, quod hæc verba pronuntiatæ hæc habeant efficaciam: sed quia Christus nobis precipit, ut hæc verba pronuntiemus, & hoc agamus, quod ipse in prima Cœna fecit: Et hoc modo suum mandatum, & factum cum recitatione nostra conjunxit.*

7. Quamvis consecratio non magicam habeat vim, non tamen propterea omni caret fine, & effectu. Thesis Formulæ Concordiæ pag. 749. sic habet: *Verba institutionis Christi in administratione Cœna Dominica palam coram Ecclesia disertè, & clarè recitentur, aut decantentur: neq; ulla ratione intermittantur, idq; plurimis, & gravissimis de causis. Primum quidem, ut satisfiat, & pareatur Christi mandato, qui inquit: Hoc facite: Non igitur omittendum est, quod Christus ipse in sacra Cœna fecit: Deinde, ut auditorum fides, de substantia, & fructu hujus Sacramenti (de presentia corporis, & sanguinis Christi, & de remissione peccatorum, omnibusq; beneficiis, quæ nobis Christi morte, & sanguinis profusione parta sunt, & nobis in Testamento Christi donantur) per verba testamenti Christi exciteretur, confirmetur, & quam certissima reddatur. Præterea, ut elementa panis, & vini, ad hunc sacrum usum (quo videlicet nobis unà cum illis Christi corpus manducandum, & sanguis ejus bibendus exhibeatur) sanctificentur, seu benedicantur, ut D. Paulus inquit: *Calix benedictionis, cui benedicimus, &c. hæc autem benedictio non alia ratione fit, quam verborum institutionis repetitione, & recitatione.**

8. Fungitur igitur recitatio illa benedictionis officio, cuius geminus est finis. Prior *ἀνακρίσις*, *dijudicatorius*: Recitatio n. illa verborum institutionis segregat, & discernit panem & vinum ab usu vulgari, & communi, atque ordinat ad subsequentem manducationem, & bibitionem Sacramentalem. Posterior est *εὐχὴ* *preparatorius*: Non tantum enim recitatio verborum institutionis Christi historiam primæ institutionis ad memoriam revocare, sed etiam ardentem in nobis precem excitare debet, ut nos Deus hujus mensæ dignos hospites, atque corporis, & sanguinis Filii sui ad vivam consolationem fideique confirmationem participes efficere velit.

9. Porro concomitantia Pontificia est stolidum rationis stolidæ figmentum. Quemadmodum enim Christus cœnam instituit, ita de eâ est sentiendum, & loquendum. Instituit verò Christus sanguinis *κοινωνία* non sub pane, sed sub vino. Ergo.

10. Denique consistit sacra cœna non in solâ manducatione benedicti panis, nec in solâ bibitione benedicti poculi; sed ad integritatem, & perfectionem ejus & manducatio benedicti panis, & bibitio benedicti poculi requiritur: Sic enim Christus instituit, & celebrari mandavit, *Matt. 26. v. 26. 28. Mar. 14. v. 22. 23. 24. Luc. 22. v. 19. 1. Cor. 11. v. 23.* Quibus enim dictum est manducate, iisdem dictum est bibite. Itaque sacrilegium committunt, qui Laicis calicem benedictum subtrahunt.

## SENTENTIA PONTIFICIORUM

11. Catholici omnes conveniunt, panem ritè consecratum, sive corpus Domini sub specio panis contentum verè, & propriè esse Sacramentum sive sumatur, sive servetur in pixide, *Bellarminus libr. 4. c. 2.*

12. Christus non tantum est præsens in ipsâ sumptione, sed etiam 1. adest, quando hostia in pixide servatur. 2. Hostia in pixide servata est adoranda. 3. Ad ægrotos tanquam Sacramentum deferenda. 4. Honor ei est deferendus in publicâ processione. 5. Solenni festo corporis Christi est honoranda. 6. Prodest non sumentibus. 7. Rectè offertur pro defunctis, *Becanus Tom. 2. p. 296.*

13. Firmiter omninò tenenda, & credenda est concomitantia corporis Domini cum sanguine in calice, & concomitantia sanguinis

cum corpore in pane, seu panis specie, Bellarminus lib. 4. de Sac. Euch. cap. 21. Concilium Trident. cap. 3. de Com. sub. utraque specie.

14. Itaque in qualibet specie invenitur tota essentia, ac ratio Sacramenti: ita ut hostia consecrata, ut conservatur in templis, & ut à Laicis sumitur sine specie vini, absolutè, verè, & propriè dici debeat Sacramentum Eucharistiæ, non Sacramentum mutilatum, ac dimidiatum, Bellarminus lib. 4. cap. 22.

15. Itaque Ecclesia Catholica (Pontificia) justis causis, & rationibus adducta est, ut laicos, atque etiam Clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, Concilium Trident. capit. 3. Can. 2.

#### STATUS CONTROVERSIAE

16. Principaliter igitur hoc loco de tribus inter Protestantes, & Pontificios disputatur, utpote de Consecratione, eiusque fine, de Concomitantia, de sacræ Cœnæ mutilatione.

17. *Quaestio prima: An panis consecratus, & vinum consecratum extra usum à Christo institutum sint Sacramentum?*

18. Resp. Concilium Tridentinum Sess. 13. capit. 3. Can. 4. Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur: Non autem ante, vel post, & in hostiis, seu particulis consecratis, quae post communicationem reservantur, vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit. Et cap. 6. Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam, adeo antiqua est, ut eam seculum etiam Niceni Concilii agnovit. Ibidem Can. 7. Si quis dixerit, non licere, sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem à stantibus necessariò distingendum, anathema sit. Costerus in Enchir. pagin. 332. Honoramus Christi corpus, inquit, asservantes, & pretiosis vasis imponentes, in recordationem ejusdem mortis, & sepulturae Dominicae: Dum Christi corpus sub specie panis inanimi, velut mortuum corpus, & ex angue sacris thecis tanquam sepulchro includitur, & adoratur, ut de hoc sepulturae genere non incommodè possit intelligi Isaia vaticinium: Et erit sepulchrum ejus gloriosum.

19. Contra docent Protestantes, Pontificios fallere & falli falso hoc principio deceptos, quod unio Sacramentalis etiam extra usum à Christo institutum pendeat ex vi, atque virtute recitationis verborum Christi institutionis, & cum primis quod pronuntiationi qua-

tuor istorum verborum *hoc est corpus meum* magica quædam vis seu facultas insit, ut vi istorum verborum transeat panis substantia in substantiam corporis Christi, & vini substantia in substantiam sanguinis Christi. At benedictionis officio fungitur illa verborum Christi recitatio.

20. Deinde utio illa mystica consistit inter panem & corpus Christi, itemque inter panem, & sanguinem Christi, verum non fit propter panem, & vinum, sed propter hominem manducantem, & bibentem, ut patet ex Christi verbis: *Edite hoc est corpus meum.*

21. Si quis igitur quærat de principio unionis Sacramentalis, ejusque fine; Respondebimus integram actionem Sacramentalem esse unam continuam actionem minimè distrahendam, vel discernendam in separatas partes. Coniungenda igitur sunt omnia illa, quæ in verbis institutionis continentur: Quæ enim Deus in verbo suo coniunxit, ea homo separare non debet. Atqui Christus in institutione Sacræ Cœnæ coniunxit benedictionem panis, ejus distributionem, sumptionem, & manducationem. Itemque vini benedictionem, ejus distributionem, & bibitionem. Nefas igitur est ea separare. Cessat igitur unio, quando finem videlicet manducationem, & bibitionem perfectam esse assecuta.

22. Denique non quaritur hoc loco de panis, & vini benedicti ad absentes delatione, aut qualicumque in usum agrotorum, vel advenarum &c. asservatione, sed de superstitiosâ illâ repositione ad cultum, aut circumgestatione hostiæ consecratæ, qualis in Patu est recepta.

23. His præmissis 1. Ex verbis Christi ita inferimus: *Quod in prima Cœna fecit, Christus, illud faciamus, & sequamur oportet*: Monet id Servator, inquit, hoc facite. Atqui in prima Cœna Christus accepit panem gratias egit, seu benedixit, fregit, & discipulis ad manducandū dedit. Ergo & nos, idē faciamus oportet, certoq; statuamus hoc usu cessante, non est Sacramentum Minor est ipsius Scripturæ, patetq; ejus veritas ex descriptione verborum institutionis: Nam cum Christus benedixisset, non panem benedictum asservandum reposuit, sed fregit, & discipulis suis dedit. Nec mandavit, ut discipuli benedictum illum panem reponerent, asservarent, circumgestarent, vel aliis ostentarent, sed dixit: *accipite, manducate*. Neque ulla inter benedictionem, distributionem, sum-

ptionem, & manducationem interjectum fuit intervallum aliquot horarum, dierum, hebdomadarum, mensium, vel annorum; Sed per actâ benedictione statim distribuit: Et discipuli, quod ipsis à Præceptore suo offerebatur, statim sumpserunt, nec ad alium usum accommodarunt, sed sicut iussi erant, manducarunt, & biberunt. Ostendit id clarissimè Marcus in mediâ descriptione hæc verba tradens: *Et biberunt ex eo omnes.* Ipsa etiam annotatio temporis, nullam interpositâ fuisse talem moram, quæ asservationi Eucharistiæ consecratae extra usum aliquid suffragari possit, quâ de re videatur Dn. Chemnitius in Exam. Concilii Tridentini: *Inter duas, inquit, vespas juxta legem, intra solis scilicet occasum, & tempus tenebrarum, manducavit Christus pascha: postea distribuit, & peracta illa communi cœna, demum instituit Eucharistiam.* Et post illam institutionem habuit prolixam illam concionem in Johanne descriptam: *Inde exiit in hortum, oravit ibi, in agonia captus est & ductum primum ad Hannam, postea ad Caypham, in cujus palatio multa acta sunt, priusquam prima negatio Petri fieret: Et tunc fuit tempus primi gallicantu.* Hac supputatio evidenter ostendit, non longam moram fuisse in actione prima Cœna Dominica.

24. 2. *Ab exemplo Apostolorum:* Ipsi enim non aliter ac Christus præceperat, administrarunt, nusquam legitur, quod distinxerint à benedictione distributionem, sumptionem, & manducationem: Neque ullum asservationis Pontificiæ proferri potest exemplum. Ergo verbum Dei non suffragatur consuetudini asservationis panis benedicti.

25. 3. *A genere Sacramenti:* Omne Sacramentum est actio, ut patet ex verborum cujuslibet Sacramenti institutione. Ergo non nisi in usu, & actione consistit. Ergo actione cessante cessat ipsum Sacramentum. Ubi igitur integra Sacramentalis non est actio, ibi non est propriè dictum Sacramentum. Atqui in solâ consecratione non est integra Sacramentalis actio. Ergo post eam à communionem divulsam non est Sacramentum. Hinc igitur est regula: *Nihil habet rationem Sacramenti extra usum divinitus institutum, seu extra actionem à Christo institutam.*

26. 4. *Quemadmodum vox illa, quâ dictum: crescite, & multiplicamini, &c. semel quidem dicta est, semper autem fit, operi nostræ naturæ vim præbens ad generandum: ita hæc quoque vox: hoc est corpus*

*corpus meum*, semel quidem dicta, in singulis mensis ex eo tempore, usque in præsentem diem, & usque ad Christi adventum, perfectam hostiam perficit, *Chrysostomus hom. 7. de pass. & Homil. de prodatione Jude*. Credite omnes, quia etiam nuncilla Cæna celebratur, in quâ Christus ipse recumbebar: nihil quippe interest inter hanc, & illam. Non enim hæc ab homine, illa ab ipso conficitur: Sed hanc, & illam ipse conficit, *Chrysostomus Hom. 51. in Matt. Conferatur etiam Damascenus lib. 4. Orthod. fid. cap. 19.*

27. *Quæstio secunda: Quid sit censendum de festo corporis Christi, uti nominari solet?*

28. *Resp.* In Clementi, lib. 3. Tit. 16. præcipitur, ut festum corporis Christi celebretur feriâ quintâ post octavam Pentecostes, & certæ indulgentiæ concedantur iis, qui in festo, vel intra octavam officio, vel horis intererunt. Patrum Concilii Tridentini capit. 5. decretum hac de re, hoc est: *Declarat sancta synodus, piè, & religiosè admodum in Dei Ecclesia inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam, & festo die, præcelsum hoc, & venerabile Sacramentum, singulari veneratione ac solennitate celebraretur, utque in processionibus, reverentur & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur. æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari, ac rata quadam significatione gratos, & memores testentur animos erga communem Dominum, & redemptorem, pro tam ineffabili, & planè divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus representantur.*

29. *Quamvis verò Protestantes omnis boni ordinis sint amatores, & defensores, quò minus tamen subscribere possint opinioni Pontificiorum de festo hoc, subsequentibus moventur rationibus.*  
1. *Non gaudet auctoritate divinâ, nec est traditio apostolica, sed Urbanus IV. circa annum Christi 1260. primus festum illud instituit. Clemens verò V. anno Christi 1311. in Viennensi Concilio constitutionem illam omnibus servari præcepit. Non igitur est cultus religiosus. Inventis enim hominum frustra colitur Deus.*

30. 2. *Ecclesia Christiana hoc festo per aliquot prima secula carere potuit. Ergo necessarium non est, & nos eodem carere possumus.*

31. 3. *Repugnat festum hoc institutioni Christi. Nam panis consecratus circumgestatur, & ostentatur, non sumitur,*

mitur, non manducatur. At distribui, accipi & manducari debebat. 4. celebratio illius festi propugnatur, ut retineatur nervus regni Pontificii, quod nimirum Eucharistia habeat rationem Sacramenti extra actionem divinitus institutam. 5. In festo illo altera tantum proponitur species. Ergo contra institutionem Christi confirmatur, & approbatur Cœnæ mutilatio.

32. 6. Adoratio illa panis revera est *ὑπολατρία* & defertur honor soli Deo debitus creaturæ panis. Displicet igitur Deo. Fingitur Christus in pane illo, quando circumgestatur, & ostentatur, non minus, ac aliter adesse, quam in vero Cœnæ usu divinitus instituto. Atque præcipitur Christus in pane illo adorari aliter, quam ipse præcepit in verbo suo. Caret igitur actio illa mandato Dei, & promissione, imò verbo Dei adversatur. Atque impiæ sunt variæ, & largæ indulgentiæ, quas Pontifices largiuntur illis, qui hoc festo solennem, qualem ipsi requirunt, & præscribunt, reverentiam exhibent pani benedicto extra usum.

33. Fabulantur quidem Pontificii, & plurima prætendunt de recolenda, & celebrandâ memoriâ Christi in celebratione festi huius, sed meri sunt prætextus, & persuasiones pugnantes cum primâ institutione. Christus enim memoriâ sui instituit, non ut panis circumgestetur, populo proponatur, & ostentetur, sed ut benedicatur, distribuatur, accipiatur, & manducetur. Apostolus Paulus commemorationem hanc interpretans dicit: *Quotiescung manducaveritis, & biberitis, &c.* In celebratione verò illius festi distributio, sumptio, & manducatio prætermittitur. Non observatur igitur Christi mandatum.

34. Quæstio tertia: *Quid sit censendum de Concomitantia Pontificia? Seu: An sub specie panis non tantum corpus, sed & sanguis; Et sub specie vini non tantum sanguis, sed & corpus Christi Sacramentaliter manducetur, & bibatur?*

35. Resp. Pontificii ut sub aliquo prætextu sacrilegium de sacra Cœnæ mutilatione excusent, excogitarunt dogma de naturali concomitantia, quâ totus Christus sub alterâ specie sumi fingitur. Verba decreti Concilii Trident. Sess. 5. cap. 3. hæc sunt: *Insuper declarat, quavis redemptor noster in suprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen satendum esse, etiam sub altera tan-*

tera tantam specie totum, atq; integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eosde fraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Bellarminus lib. 4. de Sacram. Eucha. cap. 21. concludit communionem utriusque speciei necessariam non esse, cum totus Christus in alterâ, sicut in utraque sumitur. Becanus de commun. sub utraque specie cap. 8. p. 350. Laici, inquit, non minus sub una, quam sub utraq; specie communicare possunt, quia totus Christus non minus sub una, quam sub utraq; continetur.

36. Docent verò Protestantes, Christum totum quidem adesse sub quolibet symbolo, sed non sacramentaliter, quâ præsentia adest secundum eam sui partem, quæ vi institutionis unita est cum symbolo, cum quo & sola distribuitur, & sumitur. Concomitantia igitur Pontificia merum est humanæ rationis figmentum. Nam 1. Quomodo Christus coenam hanc instituit, ita de ea est sentiendum, credendum, loquendum & docendum. Atqui Christus sanguinis *κοινωνία* non sub pane, sed sub vino nobis instituit, & ordinavit. Ergo ita, & non aliter de eâ est sentiendum, credendum, loquendum, & docendum. Licet enim corpus Christi à sanguine ejus nō divellatur, & separetur, & Christus non amplius moriatur, tamen quâ distincta illa sunt, & aliud in Christo est corpus, & aliud sanguis ejus, idcirco potest, cum velit, & ita instituerit, omnipotens Dei Filius hæc sua dona distincta sub distinctis symbolis dispensare, nempe sub pane suum corpus, & sub vino suum sanguinem.

37. Major est Scripturæ. Jubemur Christum audire, & rationem nostram in obsequium Christi captivare. Ambrosius scribit in 1. Cor. cap. 11. Indignus est Domino, qui aliter celebrat hoc mysterium, quam ab eo traditum est. Non enim potest devotus esse, qui aliter sumit, quam datum est ab authore. Cyprianus lib. 2. Epistol. 3. Si solus Christus audiendus est, inquit, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid ille, qui ante omnes est Christus, prior fecerit.

38. Minoris veritas patet ex institutione, & ex repetitione Apostoli, 1. Cor. 10. v. 16. Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est, & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est. Quicquid igitur cum symbolo panis sacramentaliter non est unitum, illud cum eo non distribuitur, nec sumitur. At qui cum pane sacramentaliter non est unitus sanguis, sed caro. Ergo.

39. 2. Sanguis Christi institutus est ad bibendum & non ad

D d d

manducan-

manducandum. At si sub panis symbolo percipitur etiam sanguis, & sub vini elemento etiam corpus, sequitur, sanguinem Christi non bibi, sed manducari, & corpus sub vino perceptum non edi, sed bibi.

40. 3. Si tantum sub unâ, quantum sub utraque specie accipitur, aut sacrificuli unâ etiam specie contenti esse debebant, aut in eodem Sacramento unâ actione percepto, bis Christi corpus & bis ipsius sanguinem accipiunt.

41. 4. Durandus in Ration. lib. 4. cap. 54. dicit: *Qui solam hostiam recipit, non plenum Sacramentum recipit. Etsi enim in hostia consecrata Christus sit, non est tamen ibi Sacramentaliter, eò quòd panis corpus, non sanguinem, & vinum sanguinem significat, non corpus.* Lombardus libr. 4. Distinct. 11. lit. F. Sed quare sub duplici, inquit, specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus? Ut ostenderetur totam humanam naturam assumpsisse, ut totam redimeret. Panis enim ad carnem refertur, vinum ad animam: quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animæ à Physicis esse dicitur. Ideò ergo in duabus speciebus celebratur, ut animæ, & carnis susceptio in Christo, & utriusque libertatio in nobis significetur.

42. Quare distinguamus oportet inter præsentiam Christi personalem, naturalem, & Sacramentalem. præsentia personali, & quidem universali nusquam Christus est exclusus, est eà etiam in medio inimicorum: Præsentia naturali in Christo corpus, & animâ semper sunt conjuncta extra mortem: De præsentia Sacramentali judicandum est ex institutione, & mandato Christi. Non igitur licet argumentari à Christi præsentia qualicumque ad Sacramentalem sumptionem. Est Christus totus in quovis homine pio. Num igitur ex quovis pio homine caro, & sanguis Christi sunt accipienda?

43. Quæstio quarta: Num Laicis altera sacra Cœna pars videlicet calix benedictus sit subtrahendus?

44. Resp. Canisius in summa doctrin. Christ. de sacra Euch. p. 136. Magister rerum usus, inquit, paulatim docuit, majore cum populi commo ditate, ac minore periculo, multisque de causis frugiterè fieri, ut omisso Calicis usu, alterius tantum speciei communio retineatur. Concilium Tridentinum Sess. 5. capit. 1. Sancta ipsa Synodus à Spiritu Sancto. (qui Spiritus est sapientia, & intellectus, Spiritus consilii, & pietatis) edocta, atque ipsius Ecclesie judicium, & consuetudinem secuta, declarat;

clarat, ac docet, nullo divino precepto laicos, & Clericos non conscientibus, obligari ad Eucharistia Sacramentum sub utraque specie sumentum, neque ullo pacto (salva fide) dubitari posse, quin illis alterius species communio ad salutem sufficiat. Ibidem Can. 1. Si quis dixerit, ex Dei precepto, vel necessitate salutis, omnes, & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistia Sacramenti sumere debere, anathema sit. Videatur etiam Bellarminus libr. 4. capit. 20. & sequent. Johannes Roffensis Articul. 16. pag. 157. Costerus in Enchir. cap. 10. p. 347. Becanus Tom. 2. De Com. sub utraque.

45. Protestantes verò hac in re accusant Pontificios facile gii, & furti. *Sacrilegium committunt*, quia rem sacram non usurpant, ut oportet, institutionem Sacramenti convellunt, magisterio humano verba divini Magistri castigant, conscientia hominum, in Sacramento præcipuum solatium quærentium ab expressis, & claris Christi verbis ad humana decreta veteremque consuetudinem remittunt. *Furtum committunt*, quia laicis & Clericis non conscientibus alteram partem, quæ ipsis debetur, subtrahunt, & alterâ parte eos privant, eisdemque ab eâ parte Sacramenti, cui in primis Novi fœderis applicatio, obsignatio, atque confirmatio addita est, prorsus depellunt, Testamentum Christi mutilant, eos, qui Testamenti Christi restitutionem integram petunt, tanquam hæreticos excommunicant. Sunt igitur Testamenti Christi falsarii.

46. *Sacrilegium verò & furtum hoc ostendimus, & refutamus. 1. Ex ipsa institutione: Quæ ratio Sacramentæ administrandi, dispensandi, & usurpandi à Christo est instituta, ea est optima, tutissima, & rectissima. Atqui à Christo instituta est ratio administrandi & dispensandi Sacramenta sub utraque specie. Ergo.*

47. Major nulli piorum debet esse dubia: Si enim hominis Testamentum confirmatum non immutatur: Multò minùs Domini nostri Jesu Christi, Gal. 3. v. 15. Institutio Filii Dei accedens ad elementa ab ipso ordinata facit Sacramenta, unde est regula: *Accedat verbum ad elementum, & sit Sacramentum.* Sacramenta enim non naturâ creantur, vel humano artificio formantur, Si igitur institutio Filii Dei adulteretur, mutiletur, & mutetur, nulla ratione vel confici, vel haberi possunt vera Sacramenta.

48. Minor legitur Matt. 26. v. 26, 27, 28. *Vescentibus eis, accepit Jesus panem, &*

nem, & cum egisset gratias, fregit, deditq; discipulis, & ait: Accipite, comedite, hoc est corpus meum. Et accepto poculo, & gratis actis, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Illi igitur omnes ex calice benedicto bibant, qui de uno pane participant: Qui enim panem benedictum acceperant, illis dicit Christus: Bibite ex hoc omnes. Atqui non tantum Clerici, sed etiam Laici, qui semetipfos possunt probare de uno pane participant. Ergo.

49. Mar. 14. v. 22. 23. 24. Edentibus illis, sumpto Jesus pane, cum benedixisset, fregit, & dedit illis, ac dixit: Sumite, comedite, hoc est corpus meum. Et accepto poculo, cum gratias egisset, dedit illis: & biberunt ex eo omnes. Qui igitur panem benedictum manducarunt, illi ex poculo benedicto biberunt. Atqui Apostoli non conficientes manducarunt. Ergo & ipsi non conficientes biberunt, quod impiè contra institutionem Christi prohibetur in Concilio Tridentino.

50. Luc. 22. v. 19. 20. Accepto pane, cum gratias egisset, fregit, ac dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei commemorationem. Similiter & poculum &c. Qui igitur de pane benedicto manducant illi *ὡς ὅτι* similiter ex poculo benedicto bibant. Atqui non tantum Clerici, sed etiam Laici de pane benedicto manducant. Ergo. Deinde, qui tenentur Mortem Domini annunciare, illi & corpus sub pane, & sanguinem sub vino debent accipere. Atqui non tantum Clerici, sed etiam Laici tenentur mortem Domini annunciare. Ergo.

51. 2. Amamoto Christi: Christus enim non tantum dogmaticè instituit Cœnam Dominicam sed adhibuit verba, quæ expresse significant præceptum, & mandatum, cujusmodi sunt: Accipite, comedite, Bibite ex hoc omnes, hoc facite. Quibus igitur sacra Cœna est instituta, illi tenentur manducare, & bibere: Respiciunt enim hos verba mandantia, manducate, bibite, hoc facite: Apostolus Paulus de utraque parte dicit: hoc facite, & de poculo dicit Apostolus, ut & Lucas *ὡς ὅτι*. Atqui sacra Cœna instituta est non tantum Clericis, sed etiam Laicis. Ergo. Sicut autem sacra cœna non pro solis Apostolis est instituta, ita verba mandantia non illos solos respiciunt, nec complectuntur tantum actum primæ Cœnæ, sed tempus universale, & perpetuum. Dicit enim Christus: Hoc facite in mei commemorationem. Quos igitur obligat verbum mandati manducate, eosdem obligat verbum mandati, bibite. Atqui illud obligat omnes homines etiam Laicos qui se probare possunt. Ergo. Item: Qui de pane benedicto manducant, illi ex poculo benedicto

dicto debent bibere, juxta tenorem verborum institutionis. Atqui de pane benedicto manducant etiam Laici. Ergo. Qui totam debent accipere sacram Cœnam, illis nulla ejus pars debet subtrahi: Mutatum enim est, cui pars aliqua deest. Atqui omnes discipuli Christi etiam Laici qui se probant, totam debent accipere sacram Cœnam: Christus enim mandavit eam totam cum omnibus suis essentialibus usurpare partibus. Ergo eis nulla pars debet subtrahi. Sunt verò essentialia Cœnæ partes, panis & vinum, corpus & sanguis Christi: Item benedicere, distribuere, sumere, manducare, & bibere. Ubi igitur hæ partes non sunt omnes, ibi tota non est sacra Cœna.

52. At excipiunt adversarii, distinguuntq; inter institutionem, & præceptum divinum: Christum, inquit, instituisse Eucharistiam sub utraq; specie, non tamen præcepisse omnibus usum utriusque speciei. Becanus scribit Tom. 2. de Comm. sub utraque specie cap. 1. p. 307. Video non paucos, etiam bonos viros, hic errare. Putant idem esse institutionem divinam, & præceptum. Quare cum communio sub utraq; specie à Christo instituta sit, quod negare non possumus; consequenter putant; etiam præcepta esse: At non ita res habet. Aliud est institutio, & aliud præceptum. Multa à Deo instituta sunt, qua tamen omnibus præcepta non sunt; ut matrimonium, ordo Ecclesiasticus, prædicatio Evangelii, officium baptizandi, & plura alia. Non enim tenentur omnes ex præcepto divino inire matrimonium, suscipere ordines Ecclesiasticos, prædicare Evangelium, baptizare catechumenos. Vnde, sicut hæ consequentia non valet: Matrimonium à Deo institutum est: Ergo omnibus præceptum est: Ita similiter hæc non valet: Communio sub utraq; specie à Christo instituta est: Ergo omnibus præcepta est. Idem cap. 2. Nos dicimus, nullum extare præceptum hoc probamus, quia adversarii in tota scriptura nullum possunt invenire. &c.

53. Resp. 1. Distinctio Pontificia inter institutionem & præceptum laborat petitione principii: Imò est nulla. Institutionis enim quasi anima est, ut fiat, & quod instituitur. Institutio igitur non excludit, sed includit præceptum, quo obligantur ii, quorum gratia aliquid instituitur. 2. Itaque pro quibus res aliqua instituitur, iisdem etiam præcipitur. V. g. institutione Conjugii obligantur conjuges, ut sint duo in carne una, 1. Corinth. 7. vers. 10. iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere. Et ibidem versic. 2. qui continere non valent, obligantur ad matrimonium ineundum. Sic, licet non omnes sint idonei ad suscipiendum

facrosanctum Ministerium, ii tamen, qui huic muneri consecrantur, ex præcepto divino Evangelium prædicare, & Sacramenta administrare tenentur. Apostolus Paulus scribit, *1. Cor. 9. versic. 16.* Necessitas mihi incumbit, ut Evangelizem: Væ autem mihi, nisi Evangelizem. Posito dari institutione, quæ careat præcepto, non detrahit illa quicquam institutioni cœnæ; Est enim ejus ratio testamentaria, & ultime voluntatis Christi dispositiva. Ergo in se, & sua naturâ obligat hæredes. 4. Idque in specie his ostendimus fundamentis. Primo Apostoli, & alii Christiani non absque mandato manducarunt, & ederunt. Ergo verba ista, *edite, bibite, hoc facite*, sunt mandantia. Secundo, verbum *edite*, est verbum mandati. Ergo & verbum *bibite*. Tertio Apostolus *1. Cor. 11. v. 28.* ordine tradit hæc tria: *Probet se ipsum homo, & de pane illo edat, & de calice bibat.* Jam verò verbum est mandati, homo se ipsum probet. Ergo & verba sunt mandati, *edat, & bibat.* Parium enim par est ratio, & de iisdem idem est judicium. Quarto, Ubi Deus creaturæ suæ aliquid ex divinâ potentiâ præscribit, cui illa obtemperare tenetur ibi est divinum mandatum. Atqui in institutione cœnæ Christus præscripsit discipulis, ut comedant, & bibant, & huic præscriptioni discipuli obtemperarunt, & ex eodem fundamento aliis præscripserunt Christianis. Ergo.

54. *Frivolum est, quod dicitis, Lucam illud hoc facite, posuisse post datum Sacramentum sub specie panis; post datum autem calicem illud non repetivisse, ut intelligeremus, jusse Dominum, ut sub specie panis omnibus distribueretur Sacramentum; Sub specie autem vini non item.* Nam, 1. Particula *ὡσαύτως* similiter, docet, hoc facite referendum esse etiam ad alteram partem. 2. Apostus *1. Cor. 11.* vocabula illa *hoc facite* utrique subjungit parti. 3. Num Apostoli absque mandato biberunt? Non dixeris. 4. Imò verbum *edite*, est vocabulum mandati.

55. 3. Ex Apostoli Pauli testimonio *1. Cor. 10.* Nam *v. 14.* quaestione hanc proponit: *Dilecti mei fugite à simulachrorum cultu.* Argumenta admonitionis subjungit *versic. 15.* *Ut prudentibus loquor, judicate vos quod dico, versicul. 20, 21.* *Nolim vos consortes demoniorum esse. Non potestis poculum Domini bibere, & poculum demoniorum.* Hinc ita inferimus, primò: Totam Ecclesiam Corinthiacam, cui inscripsit epistolam, absterret Apostolus ab idolorum cultu argumento à communione integra Cœnæ sumpto, Ergo palam est, Apostolū voluisse integrā Cœnā

tōti Ecclesiæ, atque sic etiam Laicis esse communem. *Secundò*: Apostolus avocatur à calice dæmoniorum non tantum Episcopos, sed etiam Laicos. Ergo eisdem advocatur ad calicem Domini. *Tertiò*: Non tantum Apostolus Episcopis ut prudentibus loquitur, nec illi tantum debent judicare, sed etiam Laici. Ergo & hi poculum Domini debent bibere.

56. Et I. Cor. II. v. 22. reprehendit *ἀταξίαν* quæ in celebratione cœnæ irreperat. *Quare* vers. 23. universæ Corinthiorum ad fidem conversorum congregationi proponit institutionem cœnæ, eamque non mutilam, sed integram. Ejus verò recitatione finitâ perspicuè affatur etiam laicos, v. 26. *Quotiescung, comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis mortem Domini annuntiabitis* ver. 28. *Probet homo seipsum & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat.* Hinc igitur ita colligimus *Primò*: Reprehendit Apostolus *ἀταξίαν* etiam in Laicis. Ergo & ipsis integram cœnam proponit. *Secundò*: Quos hortatur ut mortem Domini annuncient, eos monet, ut ex poculo bibant. Atqui etiam Laicos hortatur, ut mortem Domini annuncient. Ergo. *Tertiò*: Tam Laici ei quàm Episcopi debent se probare. Ergo tam illi, quàm hi debent de poculo bibere.

57. 4. *Ab Ecclesiæ privilegio, seu à subjecto bonorum Ecclesiæ*: Utraque sacræ Cœnæ pars est commune totius Ecclesiæ bonum, & privilegium. Ergo utraque ejus pars sine discretionem ad omnia Ecclesiæ membra, quæ per naturam inhabilitatem ab ejusmodi bono non secluduntur, pertinet. Num apud Deum est respectus personarum? Absit. In Christo Jesu non est Judæus, neque Græcus, non est servus, nec liber, non est masculus, nec femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu, Gal. 3. v. 28.

58. His rectè addantur testimonia piorum Patrum, ut Theophylacti, Patchasii, & aliorum.

59. *At Pontificii sacrilegium illud excusare cōnantur.* 1. Nonnullis figuris. 2. Christi verbo ex Joh. 6. 3. Christi factore ex Luc. 24. v. 30. 4. Apostolorum exemplo, ex Act. 2. v. 42. & ex cap. 20. v. 7. 5. Quibusdam rariunculis ab abstemiis, à vini inopia, à communicantium multitudine sumptis. 6. Patrum testimoniis.

60. Resp. brevissimè. 1. Articuli fidei non ex figuris, & typis, sed ex propriâ sede sunt confirmandi. Et nos non amplius habemus umbram, sed ipsum corpus, Col. 2. v. 17. Heb. 10. v. 1. Apostolus igitur Paulus

Paulus Corinthios non ad figuras, & typos, sed ad ipsam institutionem Dominicam revocat, 1. Cor. 11. v. 23.

61. 2. Caput. 6. Johannis agit non de Sacramentali manducatione, cujus hospites etiam esse possunt indigni, 1. Cor. 11. v. 29. Sed de spirituali, cujus hospites tantum sunt digni, & fideles Christiani. Imò agitur in eo capite de manducatione, & bibitione, ut patet ex v. 53. 3. Luc. 24. Christus non Sacramentum celebravit, sed ut suam resurrectionem demonstraret, panem consueto more fregit.

62. 4. Testimonia ex actis allegata explicant Chrysostomus, & Oecumenius non de Cœna Sacramentali, sed de communi primitivæ Ecclesiæ epulo, in quo bona in commune collata, prout quisque opus habebat, distribui solebant. Si maxime testimonia illa de sacra cœna acciperemus, *συνεδοχικῶς* partem pro toto poni diceremus. Nam hebræis panis omnem cibum in convivio appositum significat, ut Gen. 43. 2. Sam. 9. Job. 42. Luc. 14.

63. 5. Ratiunculæ allatæ sunt ineptissimæ, quas non vidit ipse Christus, & ob plerasq; Clerici calice essent spoliandi. 6. Patres Conciliabuli Tridentini, & consimiles nequeunt aliquid constituere contra apertum Dei verbum. Referimus huc illud

ex Ezech. 20. vers. 18. *In preceptis Patrum nolite incedere.*

Finis Disputationis XXX,





DISPUTATIO XXXI.  
 QUÆ EST  
 DE MISSA PRIOR  
 Resp. Daniele Pepero, Pomerano

THESIS I.

**E**XAMINATIS *questionibus controversiis de Eucharistia materia, ejusq; forma in particulari, excutienda sunt controversia de Eucharistia forma in universali ejusq; sine & fructu.*

SENTENTIA PROTESTANTIUM

2. Non confundendum igitur est sacrificium cum Sacramento: Neque fingendum est in Eucharistia Christum à sacrificulo incruentè offerri in remissionem peccatorum. Nam Christi sacrificium non est sine sanguinis effusione, & morte, Heb. 9. 10. Et absque sanguinis effusione non fit peccatorum remissio.

3. *Finis Cœna Dominica princeps est fidei nostra confirmatio, quâ Christus testatur, se pro nobis esse mortuum, atque suâ morte, nobis æternam redemptionem acquisivisse, ut hac fiduciâ freti consolemur nos Evangelicis promissionibus de certissimâ beneficiorum Christi fruitione. Itaque sacra Cœna est efficax applicandorum beneficiorum medium, & augendæ fidei instrumentum.*

4. Fallum est, Cœnam esse verum, & externum sacrificium, non solum *εὐχαριστικόν*, sed etiam *ἰλαστικόν* hoc est propitiatorium, quod sacrificulus in histhionicâ illâ actione cum pro suis, tum pro aliorum vivorum, & mortuorum peccatis offerat. Nam Sacramentum & Testamentum nequit esse sacrificium. Siquidem sacrificium est aliquid, quod Deo offerimus. At Sacramentum datur nobis per manum Ministri à Deo. Et ut ridiculum est, dicere per Testamentum dari aliquid testatori ab hærede: Sic etiam ridiculum videri debet, si quis dicat, nos per Eucharistiæ Sacramentum offerre aliquid Deo, cum ipse potiùs nobis aliquid promittat, ac donet.

Eeee

SEN-

## SENTENTIA PONTIFICIORUM

5. Sacra Cœna est sacrificium verè, ac propriè ita dictum. Proœmium Sessionis sextæ Concilii Tridentini sic habet: *Sacrosancta Synodus &c. ut vetus absoluta, atq; omni ex parte perfecta, de magno Eucharistia mysterio, in sancta Catholica Ecclesia fides, atque doctrina retineatur, & in sua puritate (propulsatis erroribus, atque hæresibus) conservetur: De ea, quatenus verum, & singulare sacrificium est, Spiritus S. illustratione edocta, & hæc, quæ sequuntur, docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit, &c.*

6. Est verò sacrificium non tantum laudis, & gratiarum actionis, vel nuda commemoratio sacrificii in cruce peracti. Sed propitiatorium, quod Christus in novissimâ Cœna reliquit, ut cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, *Concilium Tridentin. Can. 7.*

7. Dicitur quidem propterea Missa, aut Eucharistia potest testamentum, quia præcipuam rem continet earum, quæ nobis in Testamento relinquuntur; Verum propriè testamentum non est; Sed testamenti quoddam confirmativum, & ratificativum. *Stapletonus part. 2. Explic. 46. p. 409.*

8. Est Eucharistia sacrificium propitiatorium, & impetratorium. Est propitiatorium non solum pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solum pro culpis levibus, sed etiam pro gravibus, atq; adeo mortalibus. Præterea nec solum impetratorium est spiritualium beneficiorum, sed etiam temporalium, & idcirco offerri potest pro peccatis, pro pœnis, & pro quibuscunque aliis necessitatibus, *Bellarminus lib. 2. de missa c. 1.*

9. Deniq; sacrificium Missæ ritè offertur pro defunctis in Purgatorio degentibus, & rectè celebratur pro sanctis in Cœlo cum Christo regnantibus, *Bellarminus lib. 2. de Missa. cap. 7. 8.*

## STATUS CONTROVERSIAE

10. Verus igitur Controversiæ est status: *An sacra Cœna sit sacrificium propriè ita dictum, & quidem propitiatorium, adeoq; pro vivis pariter & mortuis offerendum: Sunt aliquot quæstionis hujus partes, quas duabus Disputationibus pertractabimus.*

11. Quæstio prima: *An sacra Cœna sit sacrificium verè, ac propriè ita dictum?*

12. Resp.

12. Respond. Alia erat veteris Ecclesie Missa, & alia est Missa Ecclesie Pontificie. Veteris Ecclesie Missa constabat certis lectionibus, canticis, Psalmis, precationibus, concione, & aliis ritibus ex verbo Dei maximâ ex parte sumptis, & hæc in nostris Ecclesiis non est abolita. Apologia Augustanæ confessionis sic habet: *Initio hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam, sed religiosè retinere ac defendere. Fiant enim apud nos Missæ singulis Dominicis, & aliis festis, in quibus porrigitur Sacramentum his, qui uti volunt, postquam sunt explorati, atque absoluti: Et servantur usitata ceremonia publica, ordo lectionum, orationum, vestitus, & alia similia.*

13. Quamvis enim sola administratio actionis à Christo in verbis Institutionis Cœnæ mandata, constans primò εὐλογία consecratione, seu verborum Institutionis pronuntiatione, secundò κοινωνία, seu δόσι καὶ λήψει distributione, & participatione, sit de substantiâ Missæ seu sacræ Cœnæ; atque reliquæ appendices, lectiones, Confessiones, Psalmi, & Gratiarum actiones, non sint vel essentielles, vel integrales Cœnæ Domini partes, neque temporibus Apostolorum, qui ad verba Eucharistiæ solam orationem Dominicam addidisse scribuntur, usitata fuerint: Tamen ut boni, & pii ritus usurpantur, & retinentur. 1. quia ædificationi, ordini, & ornatui Ecclesie utiliter inserviunt: Nam ritibus illis actio, atque efficacia, & dignitas Cœnæ Domini commendatur, & conspectior redditur, atque debita reverentia ergà tam sublime opus in astantibus augetur, 2. quia ritus isti fidei sunt analogi, boni & pii, cum benè, & piè usurpentur. 3. quia genus illorum autoritate Apostolicâ, & primitivæ Ecclesie usu commendatur. De Apostolis enim dicitur, quod à Cœna, antequam urbe egrederentur, Hymnum cecinerint. 4. quia non sine infirmorum offensione possunt ex Ecclesia exturbari.

14. Rituum istorum in augustanâ confessione quinque enumerantur, ut sunt primò cantiones, utpote Invocatio Spiritus S. precatio Agnus Dei, & similes. Secundò, Pronuntiatio verborum Institutionis, & Orationis Dominicæ in linguâ notâ. Tertiò, usus communionis. Missificat enim, & communicat non unus, sed plures idonei ad fidei confirmationem, & gratitudinem præstandam. Quartò, exploratio in probandâ communicantium dignitate,

atque indignitate. Quintò, adhortatio, quâ de digno, & salutari cœnâ sacræ ulu admonentur, & edocentur communicantes.

15. Missa verò Ecclesiæ Romanensis, seu Pontificiæ, sacræ Cœnæ verum sensum & usum depravat, & ex eâ facit sacrificium verè ac propriè ita dictum. Quare rectè dicit confessio in Articulo de Missâ: *Sed Christus jubet facere in sui memoriam, quare Missa instituta est, ut fides in iis, qui utuntur, recordetur, qua beneficia accipiat per Christum, & erigat, & consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire, quòd verè exhibeantur nobis. Nec satis historiam recordari, quia hanc etiam Judei, & impii recordari possunt. Est igitur ad hoc faciendâ Missa, ut ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait. Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.*

16. Quare sacram Cœnam non esse sacrificium verè, ac propriè ita dictum, ita probamus 1. Quodcunque dogma è diametro pugnat cum institutione Cœnæ Domini, illud est impium, & ex Ecclesiâ Christianâ exturbandum. Atqui dogma Pontificium de Missâ è diametro pugnat cum institutione Cœnæ Domini. Ergo.

17. Assumptionis veritas patet ex verbis institutionis, è quibus solis de Sacramento Eucharistiæ, ejusque fine, ut potest, ita & debet verum fieri iudicium. In illis verò non dicitur: *Accipite panem, conficite corpus Christi, sacrificate; Sed: Accipite, edite, bibite, &c. hoc facite in mei commemorationem, Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Corint. 11.*

18. Vel: Quæ causis differunt omninò omnibus, illa non sunt idem. Atqui sacræ Cœnæ, & Missæ Pontificiæ, differunt causis omninò omnibus. Ergo. *Differunt causa efficiente: Cœnæ enim Dominicæ author est ipse Christus, Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Cor. 11.* At author Missæ est Pontifex Romanus, ut vel ex cationibus Missaticis constat, idque Pontificii Scriptores aperte testantur: Nam *Alexander primus* circa annum Domini 1100. ob memoriam passionis Domini verba hæc, qui pridie, &c. addidisse scribitur. *Siricius* anno Christi 385. verba hæc (*communicantes, & memoriam venerantes*) addidit. Quæ de re plura in Disputatione subsequenti.

19. *Differunt materiâ: Nam Cœna Domini instituta est, ut unâ cum pane benedicto, & vino consecrato acciperemus corpus, & sanguinem Christi: Apostolus dicit, 1. Cor. 10. v. 16. Poculum benedictionis, cui*

nis, cui benedicimus, nōne communicatio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nōne communicatio corporis Christi est. At Missa Pontificia non constat ex pane & vino cum corpore, & sanguine Christi Sacramentaliter unitis: Fingitur enim panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi transmutari.

20. *Differunt formā*: Nam Cœnæ Domini forma constat actionibus à Christo mandatis, ut sunt, benedictio, distributio, acceptio, manducatio & bibitio; At multivariæ, & ridiculæ gesticulationes in Missa sacrificuli non sunt à Christo institutæ, & mandatæ, ut sunt ex pane conficere corpus Christi, atque offerre sacrificium incuruentum pariter pro vivis, ac mortuis, & aliæ externæ actiones ineptæ.

21. *Differunt fine*: Cœnæ enim Dominicæ finis est fidei in nobis confirmatio, & nostrum cum Christo mystica conjunctio; At finis Missæ principalis est, offerre Deo sacrificium *ἱλαστικόν*.

22. 2. Quem usum Cœnæ Institutionis verba nobis commendant, eum magni facimus, & propugnamus; Quem verò non commendant, eum improbamus. Atqui commendant nobis verba Institutionis duplicem usum; externum unum, qui in edendo, & bibendo consistit, diciturque *ποίησις*; internum alterum, qui fit recollectione mentis, & appellatur *ἀνάμνησις*; Sed non commendant usum sacrificii, in quo de novo Christi corpus modo incuruento debeat offerri: Imò tota Cœnæ actio, & singula ejus verba commento huic repugnant: Docent enim Evangelistæ, & Apostolus Paulus, Christum gratis actis, panem accepisse, eumque fractum hominibus dedisse, & non obtulisse. Ergo.

23. 3. Sacramentum, & Testamentum non est sacrificium propriè ita dictum. Atqui sacra Cœna est Sacramentum, & Testamentum. Ergo.

24. Majorem probamus: Nam sacrificium est aliquid, quod nos Deo offerimus; At Sacramentum datur nobis per manum Ministrum à Deo. Deinde Testamentum continet promissionem hereditatis nobis factam; Sacrificium verò est aliquid, quod nos Deo offerimus. Tertiò, Sacramenti, & Testamenti promissio fide accipitur; Sacrificium contra ex fide procedit: Sacramentum, & Testamentum ad nos à Deo descendunt; Sacrificium à nobis ad Deum ascendit.

Eccc 3

Quartò

Quartò, sicut non possunt esse idem oratio, & quod oratione accipitur: Ita non possunt esse idem Testamentum, & sacrificium. Denique quemadmodum ridiculum est affirmare per Testamentum dari aliquid testatori ab hærede, cum è contrariò detur aliquid hæredi à testatore: Ita omninò etiam est ridiculum, si quis dicat per Eucharistiæ Sacramentum nos Deo aliquid offerre, cum ipse potius nobis aliquid promittat, ac donet.

25. Assumptio est ipsius Christi, cujus verba referunt Evangelistæ & Apostolus Paulus Nam Matth. 26. Mar. 14. dicit Christus. *Hic est sanguis meus Novi Testamenti.* Luc. 22. vers. 20. *Hoc poculum N. Testamentum est in meo sanguine.* Et 1 Cor. 11. vers. 25. *Hic calix N. Testamentum est in meo sanguine.*

26. At contrà insurgunt Pontificii & ex typo ipsius Cœna, nempe ab agno paschali probare conantur, Cœnam esse sacrificium: Nam agnus paschalis fuit verum sacrificium, Exod. 12. Numer. 9. Deut. 16. 2. Paral. 30. & 33. Esd. 6. Mar. 14. Luc. 22. Jam verò Cœna Domini successit agno paschali tanquam antitypus typo. Ergo oportet in ea impleri, quod in agno paschali figuratum fuit. Et proinde in ipsa verum sacrificium Deo offerri Bellarmini verba pagin. 965. Et Eckii in Hom. p. 79. hæc sunt: *Celebratio agni paschalis figura erat expressa celebrationis Eucharistiæ. Sed illa immolatio quadam erat victima Deo oblata. Ergo celebratio Eucharistiæ immolatio victima Deo oblata esse debet, ut figura figurato respondeat. Majoris probatio habetur, 1. Corinth. 5. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in azymis sinceritatis & veritatis. Minor est manifesta: Nam & victima, & sacrificium in Scripturis absolutè dicitur, ut Exod. 12. Numer. 9. & propterea offerri Domino per immolationem, quod est veri sacrificii proprium. Deinde Mar. 14. dicitur: & primo die azymorum quando immolabant. Deniq; quid clarius verbis Pauli, 1. Corinth. 15. Pascha nostrum immolatus est Christus.*

27. Respond. ad Majorem. 1. Nusquam in Scriptura vocatur agnus paschalis propriè sacrificium. 2. Ulurpatur quidem vocabulum immolandi de agno paschali propter mactationem, & sanguinis effusionem; sed propterea non est sacrificium propriè ita dictum: Nam vocabulis illis hebræis *Corban*, & *Zevah* non modò propria sacrificia designantur sed etiam in genere qualibet legales oblationes, Levitic. 1. vers. 3. 10. Capit. 2. versic. 1. 4. 3. Immolatio sola non suffi-

cit ad constituendum sacrificium : Nam immolabatur agnus non ut Deo offerretur, quod sacrificiorum est proprium, sed ut ab Israëlitis manducaretur. 4. Omne sacrificium propitiatorium propriè ita dictum offerebatur à solis Sacerdotibus, non ab aliis : tantum ad altare Domini, non alibi : ritu & fine à Mose præscripto, ut patet ex Levitico. Agnus verò paschalis mactabatur non à solis Sacerdotibus, sed à quibusvis patribus familias, *Exod. 12. v. 3.* Non tantum ad altare Domini, sed per familias & domos, peculiari ritu à Sacerdotio planè diverso, & in memoriam liberationis ægyptiæ, *Exod. 12. vers. 27.* non in sacrificium propitiatorium pro peccatis. Ergo agnus paschalis non est sacrificium propitiatorium. 5. Nullum poterat fieri sacrificium in Ægypto propter abominationes ægyptiæ, *Exod. 8. versic. 26.* At agnus paschalis legitimè manducabatur in Ægypto. Ergo agnus paschalis non erat sacrificium propriè ita dictum. 6. Denique agnus paschalis inter convivias distribuebatur. Ergo propriè Deo non offerebatur.

28. *Ad minorem respondemus.* 1. Agnus paschalis typus quidem fuit Christi agni in cruce pro nobis mactandi, & peccata mundi tollentis, *Esa. 53. vers. 7. Johan. 1. cap. 19. vers. 36. 1. Corinth. 5. vers. 7. 1. Pet. 1. vers. 19. cap. 2. vers. 24. Apoc. 5. vers. 12.* At non propriè, & exquisitè fuit typus ipsius Eucharistiæ, nisi tantum respectu Christi: Unde *ἐν πλάτει* figura Eucharistiæ nominatur. 2. Successit Sacra Cæna in locum paschatos judæici ( sicut baptisma in locum circumcisionis ) non ut res figurata in locum suæ figuræ, nec ut continuatio, & complementum ejus; Sed ut Sacramentum novum, abrogato illo veteri, N. Testamento proprium, quod tantò intervallo distat à paschate, quantum corpus, & expressa imago ab umbra. 3. Non sequitur verò Eucharistia successit paschati. In paschate fuit immolatio. Ergo etiam in Eucharistia est immolatio : Nam pari ratione concludendum erat hoc modo : Baptismus successit circumcisioni. In circumcisione verò fuit amputatio præputii. Ergo etiam in Baptismo est amputatio præputii.

29. 4. Imò in agno paschali fuit mactatio cruenta, & realis effusio sanguinis. Ergo ejus antitypus esse nequit sacrificium incruetum. Amplius : Si Christus quotidie in Eucharistia immolatur, ut satisfiat  
type

typo agni paschalis. Ergo non perfectè Christus implevit legem. Rursum : Si propter typum agni paschalis in Eucharistiâ Christus quotidie immolatur, oportet eum quotidie mori : Nam agnum paschalem fuisse figuram Christi passuri, & morituri, in confesso est, idque in th. præcedente ostendimus. Atqui Christus jam non moritur, Rom. 6. v. 9. Ergo falsum est propter typum agni paschalis Christam immolari in Eucharistiâ. Sic igitur concludimus : Exhibio corpore cessant umbra, Col. 2. Heb. 7. 8. 9. 10. Christus, in quo tanquam in corpore, & expressa ei omni complementum suum habent omnes figura legales, est exhibitus. Ergo cessant umbra, nec ulla restat agni paschalis impletio in Eucharistiâ.

30. Regerit Pistorius, Christum, inquiens, in cruce non proprie esse agnum paschalem, eò quod ibi nulla fuerit mandata, vel peracta manducatio, neque (quod addit Bellarminus) inter vesperam & vesperam, sed in meridie sit crucifixus.

31. Respond. 1. Oppugnatur Scriptura sacra, principium & fundamentum fidei nostræ : Nam Johannes capit. 19. versic. 36. redditur rationem, cur Christo in cruce non fracta fuerint cura scribitur. Facta sunt hæc ut Scriptura impleretur : os non imminuetis ex eo, quod dictum de agno paschali legitur, Exod. 12. versic. 46. 2. Neque necessum est ut singulæ circumstantiæ, quæ sunt in typo, inveniatur in antitypo. Satis est, quod conveniat agnus ille Dei Christus cum agno paschali in eo, quod Scriptura intendit, videlicet in mactatione, & immolatione, adeoque morte : Id enim disertè ab Evangelistis, & Apostolis est annotatum. 3. Non separamus verò manducationem spiritualem ab immolatione Christi in cruce. Et Eucharistia in salutari suo usu respicit semper crucifixionem, dicente Apostolo : Hoc facite in mei commemorationem, 1. Cor. 11. vers. 24. hoc est, annunciate mortem Domini, versic. 26.

32. At instant Pontificii, & urgent verba Institutionis Cænae Domini-  
cæ : Nam Apostoli jubentur Christum in prima Cæna, tanquam cibum victimalem & cum Deo sacrificatam comedere. Ergo omnino sequitur, quod Christus jam tum in ipsa s. Cæna se ipsum obtulerit, atque ita victimam sese effecerit, cum nibil edi possit, tanquam victima, quod non sit Deo jam immolatum, aut mactatum. Vnde Christus in præsentem loquitur, inquiens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur : Item qui sanguis pro vobis effunditur. Ergo  
jam tum

*jam tum verè, licet incurventè, mactabatur Christi corpus, & sanguis ejus fundebatur.*

33. Resp. 1. Committitur fallacia petitionis principii. Imò falsum est, quod Christus in primâ Cœnâ semetipsum obtulerit, idque in præcedentibus ostendimus. 2. Enallage temporum in scripturâ sacrâ est usitatissima, ut *Esa. 60. 65. Johan. 6. & 16.* est videre, ubi Ecclesiæ Christianæ gloria, & futurus mundus, nec non res aliæ futuræ tanquam præsentibus describuntur. 3. Phrasi igitur Scripturæ præsens tempus ponitur pro futuro ob rei subjectæ jam jam instantis certitudinem.

34. *Questio secunda: An sacra Cœna sit sacrificium propitiatorium, quo in Missa iratus Deus placetur?*

35. Resp. Concilium Tridentinum asserit Sess. 25. Cœnam Domini esse sacrificium propitiatorium non solum pro pœnis, sed etiam pro culpis, nec solum pro levibus, sed etiam pro gravibus, atque adeo pro mortalibus. Quam sententiâ defensoribus Bellarminus sequentia tractat, 1. Cœnam Domini esse sacrificium propitiatorium: 2. Impetratorium. 3. Et utrumque illi convenire ex opere operato.

36. *Contrâ docent Protestantes Cœnam Domini non esse sacrificium ἱλαστικόν; Sed Sacramentum ἀναμνηστικόν, idq̄ constat.* 1. ex præcedente quaestione: Nam cum Cœna verum, & proprium non sit sacrificium, utique nec propitiatorium esse poterit.

37. 2. *Probat ex Institutionis sacra Cœna verbis:* Ex illis enim solis debet de Eucharistiæ Sacramento, ejusque fine judicari. In his verò nulla fit mentio sacrificii; sed dicitur, *Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. 1. Corinth. 11. ACCIPITE, EDITE, BIBITE; &c. hoc facite in MEMORATIONEM.* Quare Christus instituens Cœnam ordinavit non sacrificium propitiatorium, in quo in expiationem aliquid à nobis offeratur Patri; Sed sacramentum, in quo nobis offertur res Sacramenti. Nos igitur in Cœnâ corpus, & sanguinem Christi à Deo tanquam sigilla accipimus, & non illa Deo offerimus, sed in commemorationem, semel peracti sacrificii comedimus.

38. 3. *Ab uno acquisito:* Ubi est peccatorum remissio, non amplius fit pro peccato oblatio, *Heb. 10. v. 18.* Atqui Christi unicâ oblatione acquisita nobis est peccatorum remissio, *Eph. 1. v. 11.* In Christo

Ffff

habemus

habemus redemptionem per sanguinem ipsius, & remissionem peccatorum: Siquidem unicâ oblatione consecravit in perpetuum eos, qui sanctificantur, Heb. 10. v. 11. Ergo nunc cessat oblatio pro peccatis: Et per consequens in Cœnâ non offertur officium propitiatorium.

39. 4. *Ab unitate, preciositate, sufficientia, perfectione, & efficacia sacrificii à Christo in ara crucis oblatis: Si in Cœnâ fit amplius oblatio pro peccatis, Christus unicâ suâ oblatione non eo consummavit opus redemptionis, neque adhuc implevit typica illa sacrificia: Quod quis enim repetitione perennat, id unico actu consummatum non fuit. Atqui Christus unicâ oblatione tum typos implevit, tum opus redemptionis consummavit, Johan. 19. v. 30. Consummatum est. Et inde consummatus salutis æternæ dicitur author, Heb. 5. vers. 9. Perfectus redditus, omnibus, qui sibi obediunt, fuit causa salutis æternæ. Seipsum semel obtulit, Heb. 7. vers. 27. cap. 9. vers. 26. 28. cap. 10. v. 10. Particula adverbialis quater repetitur: Christus unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dexterâ Dei: unâ oblatione consummavit, sive perfecit in perpetuum eos, qui sanctificantur, Heb. 10. v. 12. 14. Ergo oblatione pro peccatis quotidianâ opus non est.*

40. Excipit Bellarminus lib. 1. de Missâ c. 25. confugiens ad duplicem remissionis peccatorum gradum acquisitionis & applicationis: Duo, inquit, requiruntur ad remissionem peccatorum. Vnum, ut veniatur precium liberationis, seu satisfactio justa, & debita divina justitiæ. Alterum, ut precium in particulari applicetur hominibus. Quod attinet ad primum sacrificium crucis remisit omnia peccata, præterita, præsentia, & futura: Siquidem pretium acquisivit sufficientissimum pro peccatis totius mundi: Et ideo illo sacrificio peracto, & peccatis remissis, non restat ulla similis oblatio pro peccato, id est, pro acquirendo precio ad remissionem peccatorum. Et hoc solum est, quod Apostolus eo loco scribit. Quantum ad secundum, nondum facta est remissio peccatorum omnium: Nam adhuc sunt, & erunt usque ad mundi consummationem, quibus applicandum sit precium liberationis, & remittenda peccata, & ideo remanet hostia pro peccato, nimirum sacrificium Missæ.

41. Respond. 1. Exceptio hæc falsa & fictitia est, atque nullo nititur Scripturæ fundamento. 2. Secum ipsa non constat. Nam posterior ille modus, quem Missæ sacrificio inesse fabulatur Bellarminus, nihil aliud est, quam ipsius sacrificii mortis applicatio. Jam verò planum

planum est, applicationem propitiatorii sacrificii præsupponere propitiatorium sacrificium prius factum. Ac proinde Missæ sacrificium propitiatorium esse non posse.

42. 5. *A ministerio & usu Sacramentorum*: Nam Christus ad ἀνάμνησιν sui illius sacrificii *μνηστικὸν ἔχει* instituit Ministerium verbi & usum Sacramentorum: Nullum verò sacrificium. *De Ministerio verbi* dicitur 1. Cor. I. v. 18. Sermo crucis, qui iis quidem, qui pereunt, stultitia est, at nobis qui salutem consequimur, potentia Dei est. *De Sacramento Baptismi*, Rom. 6. v. 3. An ignoratis, quod quicumque baptizati sumus in CHRISTUM IESUM in mortem ejus baptizati sumus. *De Cæna Domini*, 1. Cor. 11. v. 26. Quotiescunq; comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, Mortem Domini annuncietis, donec venerit. Sed prolixius hæc persequemur in Disputatione subsequente ubi ἀναμνηστικὸς potissimum ostendemus, Missam non esse sacrificium propitiatorium.

43. *Quæ contrà opponit Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 2.* Nullius sunt valoris, & partim in antecedentibus refutata, partim in subsequenti Disp. refutanda: *Scriptura V. Testam. ait, apertè docet, fuisse in lege natura, & Moysi sacrificia propitiatoria.* Nam Job. 1. legimus, Sanctum Job, qui in lege natura vivebat, quotidie pro peccatis filiorum suorum sacrificasse Deo, & Job. ult. Deum ipsum iussisse, ut amici Job sacrificarent pro peccato suo. Levit. 4. 5. & 6. describuntur varia sacrificia pro peccato. Hæc & similia probant sacrificium N. Testamenti esse propitiatorium, 1. quia illa sacrificia erant typi, ac figura huius nostri sacrificii. 2. quia sic sacrificium crucis, quod est singulariter propitiatorium non impedit, quo minus illa vetera fuerint suo modo propitiatoria, nec impedire debet, quo minus sacrificium Ecclesiæ sit propitiatorium.

44. *Resp. 1.* Regetimus illud Thomæ: *Theologia symbolica non est argumentativa.* Item hoc Augustini: *Figura nihil probat.* 2. Vetera illa sacrificia non fuerunt re ipsa propitiatoria, sed umbræ, & figuræ veri illius propitiatorii sacrificii, quo Christus nobis Patrè erat reconciliaturus. Nā ideò, quia à peccatis purgare non poterant, sunt abrogata, & subiectū, seu oblatum efficax illud Christi sacrificiū. Heb. 10. v. 11. 12. 14. *Omnis quidē sacerdos præstò est quotidie ministrans, & easdē sæpe offerens hostias, quæ nõ possunt auferre peccata.* Hic a. unam pro peccatis offerens hostiã in sempiternū sedet in dextera Dei. *Una n. oblatione*

Consummavit in sempiternum in sanctificatos. Quare si alia propitiatoria nobis inducent Pontificii, aut umbras legales reducent, aut Christi sacrificii efficacitatem tollent. 3. fuerunt typus & figura unici sacrificii Christi in cruce clamantis consummatum est.

45. Regeris, Christum, inquit, esse Sacerdotem in æternum. Ergo ut in æternum offeratur, necessum fuisse, ut instituerit in Cœna sacrificium æternam, hoc est, quotidie offerendum.

46. Resp. 1. Non sacrificuli, sed Christus est Sacerdos in æternum. Ergo hac ratione non sacrificuli, sed Christus semetipsum quodidie offerat. 2. Non confundendus est actus transitorius cum efficacia sacrificii Christi: Respectu actus transitorii unam pro peccatis obtulit Christus hostiam Heb. 10. v. 11. At respectu efficaciam hostia illa durat in æternum.

47. Quæstio tertia: Num sacra Cœna pro defunctis, & quidem in Purgatorio constitutis rectè offeratur?

48. Resp. Bellarminus lib. 2. de Missa cap. 7. Heretici omnes, inquit, in superiore controversia nominati, & iidem in locis maximè detestantur sacrificia pro defunctis. Concilium Tridentinum: Non solum, inquit, pro fidelium virorum peccatis, penis, satisfactoribus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenam purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur. Bellarminus l. d. dicit: Nos certissimam veritatem confirmare aggrediamur ex Testamenti Veteris consuetudine, & ex ipsa Scriptura auctoritate. Nam in 2. lib. Machab. cap. 7. Judas Machabæus iussit offerri sacrificium pro peccatis mortuorum: Et scriptura hoc factum laudans, aperitè dicit: Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

49. Refutavimus verò opinionem illam in Disputationibus de Purgatorio: Ideò hoc loco eam tantùm attingimus. Nam. 1. Purgatorium non datur, & ignorat illud scriptura, quæ inter Cœlum, & infernum tertium non admittit. Ergo frustra offertur sacrificium pro defunctis ex Purgatorio liberandis: Non entis nulla sunt accidentia. 2. Quibus sacra Cœna est instituta, illi soli eam fruuntur. Acqui sacra Cœna est instituta non mortuis, sed vivis. Ego non mortui, sed vivi eam fruuntur: Et per consequens, licet esset sacrificium, frustra tamen pro his ex loco, qui non datur, liberandis offerretur. 3. Ullus sacra Cœna est in manducatione, & bibitione: Christus dixit: manducate,

ducate, & bibite. Atqui mortui neque edunt, neque bibunt. Ergo. & Christus communicantibus sui memoriam & annunciationem demandavit, hoc est, passionis & mortis suae. Ergo voluit ut vivi tantum communicarent.

50. Bellarminus lib. 2. de Missâ cap. 7. Argumentum inquit illud, intellige ex verbis Cœnæ desumptum nihil concludit: Nam quod mortui non manducant, probat eos non posse participare de carnibus sacrificii, non autem probat, non posse eos participare fructum sacrificii: Siquidem Job, pro absentibus filiis, & Judæi pro Rege Babylonis similiter absente, non inutiliter sacrificabant. Et Dominus ait: Accipite, & manducate, loquebatur iis, quibus Sacramentum porrigebat, non autem iis omnibus, pro quibus sacrificium offerebat: Nam ibidem habemus, sanguinem Domini oblatum pro illis, & pro multis.

51. Resp. 1. De Judæa sacrificio alibi diximus. 2. Absens absentem vivum potest precibus suis juvare; sed non propterea vivus mortuum. Post mortem enim nulla redemptio. 3. Unicum sacrificium Christus, & quidem in ara crucis, non in sacrâ Cœna obtulit.

52. 5. Concilii Toletani Canon tertius hic est: Qui divinâ vocatione ab hac vita recedunt cum Psalmis tantummodo, & Psallentium vocibus debent ad sepulchrum deferri. Sufficiat autem, quod in spem resurrectionis Christianorum corporibus famularus divinorum impenditur canticorum. Matthias Bredembachius in libello de dissidiis Ecclesie componendis dicit: An in Ecclesia ad altare etiam per sacrificium, & oblationem pro salute vivorum, & mortuorum; Hoc nusquam exprimit scripta Evangelistarum, & Apostolorum.

53. Quæstio quarta: An Missa in honorem sanctorum piè defunctorum sint celebranda?

54. Resp. Concilium Tridentinum Sess. 22. cap. 3. Quamvis, inquit, in honorem, & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: Non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: Vnde nec Sacerdos dicere solet: offero tibi sacrificium Petre, vel Paule; Sed Deo de illorum victoriis, gratias agense eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Bellarminus lib. 2. de Missâ cap. 8. hunc ponit titulum: Sacrificium Missæ rectè celebratur pro sanctis. Determinare assertionem illam conatur aliquot capitibus. Primò inquiens sacrificia non pro-

sunt sanctis ad culpæ, vel pœnæ remissionem, nec ad gratiæ, vel gloriæ essentialis augmentum. Secundò: Sacrificium non offertur sanctis, & proinde neque templa, neque altaria eriguntur. Tertio Sacrificium Missæ non est per se institutum tanquam ad finem proprium, & præcipuum ad sanctos honorandos, vel invocandos. Tandem subjecit: *Non repugnat Cœna Domini, ut in ea nominentur sancti.*

55. Studet quidem Bellarminus impietatem & profanationem Pontificiam palliare, sed parum, vel nihil proficit. Nam Decimus articulus, qui de sacrificio Missæ in Concilio Tridentino examinandus fuit propositus hic est: *An abusus sit, certas Missas certis sanctis attribuere.* Capite verò tertio dicitur, *idè Missas in honorem sanctorum celebrari, ut ipsorum imploremus patrocinia.* Hoc igitur Canon Missæ exponit, *ut Deus meritis, & sanctorum precibus concedat, ut munimur in omnibus divina protectionis auxilio.* Status igitur controversiæ hic est: Num Christus idè etiam sacrosanctam instituerit Cœnam ut nobis eius celebratione, administratione, & usurpatione patrocinia sanctorum imploremus, & imploremus, ita ut Deus propter merita, & preces sanctorum, quibus indigemus concedat? Affirmant Pontificii; Negant Protestantes. Tergiversatione igitur prolixâ, quam instituit Bellarminus, opus non erat.

56. Negationis argumentum primum hoc est. Quicquid directè adversatur Institutionis sacre Cœnæ verbis, illud meritò abominantur Christi discipuli. Atqui profanatio illa Pontificia de invocatione sanctorum in usu sacre Cœnæ directè adversatur Institutionis sacre Cœnæ verbis. Non enim dicit Christus: *Hoc facite in sanctorum, sed in mei commemorationem.* Ergo.

57. Secundum: Sanctorum invocatio repugnat officio Christi. Ergo certè non instituit eam in sacra Cœnâ Christus; Antecedens ostendimus in Disputat. 24. Christus enim solus est Mediator, & advocatus noster in Cœlo interpellans pro nobis. *Rom. 8. v. 35.* Per ipsum igitur venimus ad Patrem *Johan. 14. ver. 6.* Ipse est ostium, per quod debemus intrare *Joh. 10.* In ipsius nomine si rogamus Patrem, dabitur nobis *Joh. 16. v. 23.* Imò in usu sacre Cœnæ idè nobis præbet corpus suum, ut imploraturi gratiam, & misericordiam Dei, proponamus Deo merita unius oblationis, & passionis suæ.

58. Tertium: Quicumque Christo alios mediatores adjungit per quo-

per quorum merita, & preces ad Deum accedat, misericordiamque, & gratiam inveniatur; ille merito ejus derogat, & ipsum à dextera Dei deturbat. At faciunt illud Pontificii. Ergo.

59. *Frustra hoc loco provocatur ad auctoritatem Patrum*: Illi enim tantum testantur Ecclesiam sanctorum Martyrum, qui pro confessione fidei Christianæ in primitivâ Ecclesiâ magnas persecutiones sustinuerunt, & martyrio sunt coronati, memorias solenniter celebrasse.

60. *Quæstio quinta: Quid sit statuendum de Missis privatis?*

61. Respond. Bellarminus libr. 2. de Missa cap. 9. Sex modis, ait, Missa dicitur privata, & omnibus modis licita. Primò dicitur potest Missa privata *ratione loci*: Quæ enim celebrantur in privato aliquo oratorio, seu sacello, dicitur privatæ, si comparentur ad eas, quæ celebrantur in publico templo. Secundò à *tempore*, ut publica sit, quæ festis diebus; privata, quæ profestis celebratur. Tertiò à *sine*, quia nimirum pro aliquo particulari homine, vel negotio celebretur, ut pro hoc, vel illo defuncto, pro ista, vel illa necessitate. Quarto à *paucitate eorum, qui intersunt*. Quintò Missa privata dicitur potest, quæ dicuntur in eodem templo, eodem die, præter unam. Nam una tantum solet esse Missa, publica, & solennis, quæ dicitur in summo altari, cæteræ quæ dicuntur in minoribus altaribus eodem die privatæ dicitur potest. Sextò privata Missa dicitur potest, in qua solus sacerdos communicat: Et hæc est Missa privata, de qua potissimum adversarii altercantur, & quam nullo modo admittunt. Concilium Tridentinum Sess. 22. Can. 8. *Si quis dixerit, missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.* Videatur etiam Eckius in Enchir. cap. 38.

62. Sententia verò Protestantium est, quod cauponatio, & nundinatio privatarum Missarum sit potissima questura regni Pontificii. Quare eam his refutant fundamentis. 1. *Ex institutione Christi*: Quod Christus in primâ institutione fecit; mandavit in futurum fieri. Atqui Christus in prima sacre Cœnæ institutione non tantum panem accepit, benedixit, & fregit, sed etiam discipulis dedit, dicens: *manducate*. Similiter accepto calice, non solum gratias egit, sed etiam discipulis dedit dicens: *Bibite*. Ergo illud mandavit in futurum fieri dicens: *hoc facite*. Et per consequens panem & vinum tantum consecrare, non est Dominicâ Cœnâ celebrare. Nā sine essentiali actu nequit esse integra sacra Cœna  
Atqui

Atqui distributio est essentialis sacrae Cœnae actus. Ergo. Ita non legitur Christus Sacramentum hoc sumpsisse, sed dedisse discipulis, & iussisse, ut manducarent, & biberent.

63. 2. *Ab exemplo & praxi Apostolorum*, de qua dicit Apostolus Paulus, 1. Cor. 10. v. 16. *Panis, quem frangimus, hoc est dispenamus, & manducandum distribuimus, est communicatio corporis Christi. Vers. 17. Unus panis, & unum corpus multi sumus, non quia unum manducantem spectamus; Sed quia de uno pane participamus.*

64. 3. *Ab oppositione Cœnae propriae, & Cœnae Dominicae*, 1. Cor. 11. v. 20. 21. Ubi reprehendit Apostolus, quod quidam privatim, quod Cœnae Dominicae erat, manducabant. Inde inferimus, privatas Pontificiorum Missas, in quibus solus celebrans Sacramentaliter communicat, non esse scripturae consentaneas.

65. 5. *A collatione cum Baptismo*: Usurpari enim nequit in alterius commodum Baptismus. Ergo nec Cœna Dominica. 6. *A collatione cum cibis vulgaribus*: Hos enim nemo manducat in alterius utilitatem. Ergo nec cibum Sacramentalem. Concludimus verbis Anacleti Papae, quae recensentur in Jure Canon. De consecrat. Dist. c. 10.

*Per acta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiam vacare liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet Ecclesia.*

Finis Disputationis XXXI.





## Disputatio XXXII.

QVÆ EST

## DE MISSA POSTERIOR.

RESP. Johanne Binchio Hervordiâ-Westph.

## T H E S I S I.

**D**erogamus agere de Missa, & nonnihil latius inventum illud examinare. Sit igitur quæstio prima: *An Missa sit sacrificium propriè ita dictum, & quidem verè propitiatorium?*

2. Resp. Missa Papismi quasi cor, & anima est: Unde in Comitibus Augustanis annis 1530. solenniter protestati sunt Romanenses, se quidvis potius passuros, quàm Missæ sacrificium sibi eripi.

3. Quamvis Romanenses inter se in eo conveniant, quòd Missa sit sacrificium verè, ac propriè ita dictum, dissentiunt tamen in definienda ejus qualitate.

4. Scholasticorum vetustissima est opinio, Missam esse sacrificium propitiatorium, *cujus virtute tollantur, ac deleantur peccata Actualia, quæ quisq; quotidie designat; Et id quidem ex opere operato.*

5. Thomas Aquinas scribit lib. de Sacram. Altaris cap. 1. *Secunda causa Institutionis est sacrificium Altaris, contra quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam: ut, sicut corpus Domini semel oblatum est in cruce, pro debito originali. sic offeratur jugiter pro nostris quotidianis delictis in altari, & habeat in hoc Ecclesia munus, ad placandum Deum super omnia legis sacrificia preciosum, & acceptum.*

6. Thomæ subscribit Gabriel Biel, Lect. 26. in Canonem lit. G. *Missæ potest intelligi valere, & efficaciam habere dupliciter: Vno modo, ex opere operante; Alio modo ex opere operato. Ex opere operante, hoc est, merito personali persona celebrantis, propter quod confert Deus petita à Sacerdote iis, quibus orationem, & Missæ sacrificium applicat. Ex opere operato, id est, ex*

Gggg

ipsâ

ipsa consecratione, oblatione, & sumptione venerabilis Eucharistiae, non habendo respectum ad personalem sanctitatem, aut meritum Sacerdotis.

7. Verum sententia hæc progressu temporis, & quidem circa annum Christi 1530. & 1548. ipsis Pontificiis durior est visa: Nam à Lutheranis sibi injuriam fieri sunt protestati, qui arguant, doceri à Pontificiis, Missam esse sacrificium propitiatorium pro peccatis; cum potius statuunt, esse sacrificium partium commemorationis pro sacrificio Christi expiatorio, partim laudis, & gratiarum actionis.

8. Protestatio hæc legitur his verbis in Responsione Principum Catholicorum, ad Articulum de Missa in ipsis Comitibus Augustanis Carolo Imperat. exhibita: *Non satis intelligi potest, quod assumitur, Christum satisfecisse suæ passioni, pro peccato originali. Nam hoc nunquam auditum est à Catholicis. Jamq; rogati pleriq; constanter negant ab eis sic doceri: Non enim Missa delet peccata, quæ per penitentiam, velut peculiarem medicinam sanantur: Sed delet penam pro peccato debitam, satisfactiones supplicat, & gratiæ confert augmentum.*

9. Johannes Cochleus ad Artic. 3. abusu Confess. August. *Falsissimum est, nostros ita docere, inquit: Non enim dicimus, aut docemus, missam ex opere operato justificare, aut gratiam, & remissionem peccatorum conferre. videatur Harm. Augustan. Confess. Andr. Fabricii pag. 400. & seqq.*

10. Hinc Gropperus in Institut. & in Antididagmate Colonien. asserit, Papistis insignem à nostris inferri injuriam, quasi doceant, Missam esse sacrificium propitiatorium pro peccatis, posse, aut appellari sacrificium, non quod tale revera sit: Sed quod sit imago unius propitiatorii sacrificii.

11. At Patres Concilii Tridentini anno Christi 1562. Anathematis fulmen projiciunt in singulos istos, qui nomen ac definitionem sacrificii propitiatorii, propriissimè sic dicti, Missæ denegare ausi fuerint. Sic enim habent verba Sess. 22. cap. 2. *Quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & in cruce immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit, docet sancta Synodus, sacrificium VERÈ propitiatorium. Ibidem: Hujus oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum penitentia concedens, crimina & peccata etiam ingentia.*

gentia dimittit. Et post pauca: Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis, in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè, juxta Apostolorum traditionem offertur. Et Canone III. Si quis dixerit, missa Sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel, soli prodesse sumentis; neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

12. Hodie igitur controversiæ status de Missâ idem est, qui fuit mox circa primordia Papatus, nimirum: Num Missa sit sacrificium verè ac propriè propitiatorium? Seu, num Missa Pontificia, in quâ Ministerio sacrificii, panis, & vinum transsubstantiari finguntur in corpus, & sanguinem Christi, & hac sic transsubstantiata offerri Deo Patri; sit sacrificium verè propitiatorium pro peccatis, culpis, pœnis, aliisque necessitatibus, tum defunctorum, tum viventium?

13. Affirmativam quæstionis partem ab hodiernis propugnari Pontificiis ostensum est ex Concilio Tridentino: Videatur etiam Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 5.

14. Ex adverso docent Protestantes Missam Pontificiam esse portentosum, & impium paradoxum ex horrendis erroribus constat, idque his evincimus fundamentis, 1. à legitimo veri cultus, & sacrificii authore: Quicumque cultus & ceremonia non habet authorem Deum, neque Prophetas, vel Apostolos; Sed gaudet merè tantum autoritate humana; illa non placet Deo, nec est sacrificium propriè ita dictum, multò minus verè propitiatorium. Atqui Missa Pontificia est ex affe talis ceremonia, Ergo.

15. Propositio est catholica secundum illud Jehovæ, Deut. 12. v. 12. Quod ego præcipio tibi hoc tantum facias. Et secundum hoc servatoris, Matt. 15. v. 9. Frustra colunt me docentes doctrinas hominum. Apostolus Gal. 3. v. 15. Hominis inquit, confirmatum Testamentum nemo spernit aut subordinat. Basilius in Moralibus dicit: Quicquid vel dicimus, vel facimus, id testimonio divinarum literarum confirmari debet. Et Hieronymus in Matt. c. 23. Quod de scripturis non habet autoritatem, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur.

16. Assumptionem vel inde probamus, quod Deus, qui singula sacrificiorum genera in V. Testamento perspicuis verbis defini-

vit, nullibi de sacrificio pontificiæ Missæ in N. Testamento ordinationem mandatum, aut promissionem claris & perspicuis verbis tradiderit, ut nec Apostoli. Num verò N. Testamentum obscurius est veteri? Num verisimile est, nullam ordinationem, nullum mandatum, nullam promissionem de primario Christianorum cultu esse clarè & perspicuè promulgatam?

16. Imò Petrum Apostolum simplicissimè, & ad nudam orationis Dominicæ recitationem celebrasse testatur Platina in vita Sixti I. Quod ipsum de reliquis etiam Apostolis testatur Gregorius Magnus, *nos inquit, fuit Apostolorum, ut ad solam orationem Dominicam consecrarent oblationis hostiam.*

17. Quin imò testatur Clichtoveus Parisiensis in Anti-Luchero summos pontifices subinde alia, atque alia diversis temporibus canoni Missæ adjecisse, ut 1. *Introitum Cælestinus*, qui que ordinavit, ut Psalmi Davidis ante sacrificium canerentur, quod ante fieri non consueverat. 2. *Confiteor Pontianus* 1. vel secundum Platinam Damascus. 3. *Kyrie eleeson*, Sylvester, & Gregorius Magnus. 4. *Gloria in Excelsis*, Telesphorus. 5. *Et in terra pax*, Symmachus. 6. *Dominus vobiscum*, septies repetatur, Clemens, & Anacletus. 7. *Collectas* Gelasius. 8. *Graduale*, Gregorius M. 9. *Halleluia*, Damascus. 10. *Tractum*, Telesphorus. 11. *Sequentias*, Nicolaus. 12. *Lectiones ex Epistolis & Evangelis*, Damascus, & Telesphorus. 13. *Symbolum*, Marcus, & Damascus. 14. *Thus*, Leo III. 15. *Agnus Dei*, Sergius I. 16. *Ite missa est, & benedicamus*, Leo. I. 17. *Pater noster*, Gregorius. M.

18. Summatim hoc refert Johannes Boëmus Aubanus lib. 2. de Morib. Gent. c. 12. *Orationes, inquit, gradualia, tractus, alleluia, offertoria, communiones in Missa, Antiphonas, versiculos, tropos, aliæque, quæ tam in nocturno, quam in diurno officio cantantur, legunturq; ad decorem, & laudem Dei, Gregorius, Gelasius, Ambrosius, & plerique alii Sancti Patres, non uno, verum diversis temporibus edidit. Missa (sic appellant sacrificium) à lectione primùm, eo simplici apparatu, tenoreque, quo adhuc sancto Pascha Sabba festo celebrabatur. Cælestinus Papa Introitum addidit. Telesphorus Gloria in excelsis. Hymnum, & in terra, Hilarius Pictaviensis composuit. Symmachus cantari instituit. Salutationes, quæ per Dominus vobiscum septies in eâ fiunt, ex libro Ruth transsumpta, Clemens, & Anacletus interposuere. Gelasius cætera ad offertorium usque ordine, quo peraguntur, ordinavit, præter sequentias, quas*  
Nicolaus

Nicolaus, & Symbolum, quod Damascenus ex Constantinopolitanâ Synodo immiscuere, &c.

19. Contendit quidem Bellarmin. lib. 1. de Missa c. 1. antiquissimam esse vocem Missæ. Unde colligit dogma hoc multis seculis in Ecclesia Latina viguisse: Sed 1. aliud est illa appellatio, & aliud ipsum Missæ propitiatorium sacrificium: Hoc Ecclesiæ primitivæ fuit incognitum, appellatio ipsa nota: Verum non sensu Pontificio. 2. De vocabulo Missæ altercantur inter se ipsi etiam Pontificii: Origine Hebræum esse contenderunt in Augustanis Comitibus: Nonnulli deduxerunt illud à מִזְבֵּחַ quod vocabulum altare significat. Hos refutat Philippus in Apol. August. Conf. Quorsum, inquit, opus erat tam procul accersere etymologiam? Alii derivarunt illud à voce מִסָּחָה que legitur Deut. 16. v. 10. Horum sententiam rejicit Bellarminus.

20. Alii origine Latinum esse contenderunt derivantes illud, sed interpretationibus diversis à mittendo, ut Missa idem sit, quod missio, sicut Patres remissam usurparunt pro remissione, ut Cyprianus lib. 3. Epist. 14. Qui blasphematur Spiritum S. remissam peccatorum non habet. Lombard. lib. 4. dist. 13. & 24. Thomas part. 3. q. 83. Art. 3. Missam dictam putant, quod mittatur Angelus, qui sacrificio assistat, & illud ad Deum deferat: vel à Christo, quod iste sit hostia è cælo nobis missa, & pro salute populi remissa. Hugo lib. 2. de Sacram. part. 8. c. ult. Missam dici opinatur, quod oblatio, & preces ad Deum mittantur. Alii referente Durando lib. 4. Rubrica 1. inde nomen inventum esse, ajunt, quod quando Sacerdos incipit consecrare Eucharistiam, Catechumeni foras ex Ecclesiâ mittuntur, quippe qui Sacramentis altaris interesse nequeunt. Alii Missam dictam putant à dimissione totius populi, quia Diaconus in fine dicit: Ite missa est, quasi dicat, jam dimissio est congregationis, redire omnibus ad propria licet, videatur Lombardus lib. 4. dist. 24. Bellarminus lib. 1. de Missa cap. 1. Gabriel Biel in explicat. Can. Lect. 15. Missam dictam esse opinatur, quod corpus Dominicum mittatur, quando verba Canonis recitat Sacerdos. Alii docent Missam dictam esse à mittendis & conferendis in medium muneribus, quæ ditiores conferebant, ut inde fieret sacra cæna, & sustentarentur pauperes.

21. Cum autem sacrificium illud propitiatorium ignoret scri-

ptura, atque antiquitas, & contra eam propugnetur à Pontificiis, id eò quidam dant appellationis istius allusiones negotio respòdentes, deducentes eam ab idolo Antichristi  $\square$   $\square$   $\square$  Dan. 11. v. 38. vel à divinè institutionis missione, & neglectione, vel à Germanica appellatione *Wes*, sive *Jahrmarekt* ob gesticulacionum vanitatem, & nundinas papales.

22. Excipiunt Pontificiis, negantes Missam esse humanum inventum, sed potius à Christo ipso institutum, & ordinatum, idq; colligere conantur ex verbo faciendi, quod extat in verbis Institutionis, Luc. 22. vers. 9. 1. Cor. 11. vers.

24. Nam facere aliquando significat sacrificare, ut apud Virgilium. Cum faciam vitia: pro frugibus ipse venito. Patres Consilii Tridentini. Sess. 6. cap. 1. scribunt. Sub panis & vini Symbolis, Apostolis, ut sumerent tradidit. Et eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerent, præcipit per hoc verba: Hoc facite in mei commemorationem, ut semper Ecclesia Catholica intellexit, & docuit. Eckius in Enchir. Tit. 17. p. 105. Secundam oblationem inquit, faciunt Sacerdotes jussu Christi. Hoc facite in meam commemorationem. Nam hoc facere, non solum refertur ad sumptionem, sed etiam oblationem. Stapletonus Princip. Fid. Doctr. part. 2. expl. 8. p. 264. Negant heretici Missam esse à Christo institutam. Sed profectò verbis Christi aperte damnantur dicentis, hoc facite in mei commemorationem.

23. Resp. 1. Procedit argumentum à particulari: Facere aliquando significat sacrificare. Ergo etiam in verbis Institutionis *Cæne*. 2. Significatio verbi illius (*facite*) est admodum generalis quemcunque notans actum. Statuendum igitur est de ejus significato ex subjèctâ materia, de qua agitur. 3. Peritillatio, si textus græcus inspiciatur, in quo non legitur  $\text{ἵεῖν}$ , nec  $\text{ἰερεῖν}$ , sed  $\text{ποιεῖν}$ . 4. In una prædicatione vox una, & simplex non habet oppositas significaciones. At secundum Pontificios (*facite*) eas haberet, ut sunt *facite*, hoc est, sacrificare, & rursus *facite*, hoc est, manducate, & bibite. 5. Si sacrificium est, quotiescunque biberint Christiani, sequitur, in Missa non esse sacrificium, quia nulla est ibi calicis communio: Non enim multi bibunt, ut jubet Apostolus, sed unus sacrificulus. 6. Apostolus præceptum Christi, *hoc facite*, ad universam Ecclesiam Corinthiaca accommodat. Num igitur licet omnibus Christianis sacrificium offerre? 7. Petitio est principii, eaque stolidissima: Circularis

circularis enim probationis pontificiæ hæc est summa: *Christus in sacra Cœna sacrificavit, quia sacrificavit.* 8. Non absolutè dicit Christus, *facite*, sed *hoc facite*. Pronomen hoc demonstrativum innuit, faciendum esse, quod Christus jussit, nimirum manducare, & bibere. Si igitur facere idem est, quod sacrificare, erunt illæ actiones, Deo offerendæ, & sacrificandæ. Denique expressè exprimitur, quid illud sit, quod Christus, *facere jussit* nimirum edere, & bibere Cœnam in memoriam Christi. Non igitur jussit sacrificare.

24. 2. *Ab unitate, & absolutissima sacrificii Christi in arâ crucis peracti perfectione*: Scriptura N. Testamenti non nisi unum numero agnoscit sacrificium propitiatorium, idque cruentum in arâ crucis peractum absolutissimum, & perfectissimum, Eph. 5. v. 2. Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis Heb. 7. v. 26. 27. Talis decebat ut esset nobis Sacerdos, pius innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus & sublimior Cælis factus, cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Sacerdotibus, pius pro peccatis propriis victimas offerre, deinde pro peccatis populi. Nam *id fecit semel*, cum semetipsum obtulit, Heb. 9. vers. 12. Christus per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, æterna redemptione inventa, ver. 24. 25. 26. Non in manufacta sancta ingressus est Christus, exemplaria verorum; sed in ipsum Cælum ut appareat nunc in conspectu Dei pro nobis, non ut *sapius offerat semetipsum*, quemadmodum Pontifex (Veteris Testamenti) ingreditur in sancta, singulis annis per sanguinem alienum: alioquin oportuisset ipsum sæpius passum esse à condito mundo: Nunc autem *semel* sub consummationem seculorum ad profligationem peccati per immolationem sui ipsius apparuit. Et vers. 28. Christus *semel* oblatus est. cap. 10. vers. 2. *Semel* mandati oblatione Christi. vers. 12. 14. Christus *unam* pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dexterâ Dei: *Vna oblatione* consumavit, sive perfecit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Ergo impium est sacrificium missaticum, in quo fingitur idem offerri Christus modo incruento, & esse illud propitiatorium pro peccatis, pœnis, & satisfactionibus vivorum, & mortuorum.

25. Nam verum ac reale sacrificium Christus semel obtulit in arâ crucis modo cruento. Ergo quicquid extra unicum  
istum

istum sacrificii crucis actum fingitur, illud non esse verum ac reale sacrificium propitiatorium. Deinde iteratio illa erat nota imperfectio- nis, quod non posset accedentes perfectos facere, *Hebr. 10. v. 1.* Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indefinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere sic igitur inferimus: Quod est perfectum, omnibus numeris absolutum, impletum, & consummatum, illud amplius fieri nec potest, nec debet. Atqui sacrificium Christi est tale. Ergo. vel: Aut Christus illo suo sacrificio semel oblato æternam redemptionem acquisivit, ut nunquam illud repeti possit, aut debeat; aut ipsi vis reconciliationis, ac redemptionis defuit, ut propterea indies sit repetendum. Prius docet Scriptura. Ergo posterius refutat. Sive: Per quod nobis peccatorum plenaria remissio est acquisita, illud non indiget novâ pro peccatis oblatione, *Heb. 10. v. 18.* Ubi peccatorum est remissio, jam non est oblatio pro peccato. Atqui per Christi oblationem plenaria omnium peccatorum remissio, & expiatio est acquisita. Ergo sacrificio propitiatorio non amplius est opus.

26. 3. *Aratione, & modo aeterni Sacerdotii Christi:* Nam primò, Christus est Sacerdos in æternum, *Heb. 7. v. 23.* Secundò secundum ordinem Melchisedech, *Psal. 110. v. 4.* Tertiò semel tantum sacrificavit, & unicâ oblatione nos perfectos reddidit. *Heb. 7. v. 27.* Quartò, Sacerdos N. Testamenti est sine labe, *Roman. 7. v. 26.* Hinc inferimus primò N. Testamenti Sacerdos est unicus in æternum, quo ipso distinguitur à Sacerdotibus V. Testamenti. At Sacrificuli Pontificii sunt vel innumerabiles. Ergo non sunt Sacerdotes N. Testamenti. Secundò Christus perpetuò manet Sacerdos. Ergo in suo sacerdotio non habet successores, non vicarios. Tertiò, N. Testamenti Sacerdos est sine labe. At nemo hominum Christo excepto est labe expertus. Ergo. Quartò, Sacerdos N. Testamenti offert semetipsum, *Heb. 9. v. 26. 28. cap. 10. v. 12. 14.* At sacrificuli Pontificii semetipsos non offerunt. Ergo.

27. 4. *Ab analogiâ Scripturae, & Articulorum fidei:* Quæcumque opinio pugnat cum fidei analogiâ, & cum totius Scripturae sacrae scopo, illa est abominabilis: Fides enim ex auditu est; Auditus, verò per verbum

Dei, Rom. 10. v. 17. Prophetia sit secundum rationem fidei, Rom. 12. v. 6. Et quicquid non est ex fide, peccatum est, Rom. 14. v. 23. Atqui opinio Pontificia de Missa pugnat cum fidei analogiâ, & cum totius sacrae Scripturae scopo. Ergo.

28. Nam scopus Scripturae iste est, ut doceat, hominem solâ in Christum fide sacrificium propitiatorum crucis apprehendente, sibi que firmâ fiduciâ applicante consequi remissionem peccatorum, Justitiam, & vitam æternam. At Romanenses asserunt, Missam esse sacrificium propitiatorum pro peccatis, culpis, pœnis, aliisque necessitatibus tum defunctorum, tum viventium, & id quidem ex opere operato, licet is, pro quo offertur, fide careat, imò sit obduratus, & impœnitens, neque ad gratiam recipiendam sese præparet.

29. Deinde spiritus S. in efficienda conversione, & accendendâ fide hominis uicitur ordinariè Ministerio verbi, & Sacramentorum. At Romanenses fingunt, Missam etiam esse canalem, per quem meritum Christi, etiam ad eos, qui fide destituuntur, derivetur.

30. Denique Scriptura docet solum, & unum Deum, per Christum servatorem, in fide innitente Sacrificio crucis unico propitiatorio invocandum esse. At Missa Pontificia non contenta merito Christi, involvit simul merita preces, & intercessiones Sanctorum, & Martyrum.

31. 5. *A naturâ, sive definitione sacrificii propriè sic dicti*: Nam primò quoties Christus offertur, toties occiditur, Heb. 9. v. 25. Neque ut sæpe se offerat, apparuit; alioquin oportuisset, cum sæpe passum fuisse. Heb. 9. v. 15. Ob id novi fœderis Mediator est, ut morte intercedente ad remissionem peccatorum. Atqui Christus aliquoties à Pontificiis offertur. Ergo aliquoties occiditur, ὅτι πῶν. Secundò, in omni sacrificio propriè sic dicto hostia, sive victima incurrit in oculos, ut per inductionem omnium sacrificiorum propriè sic dictorum probari potest. Atqui Romanenses fatentur, se offerre sub visibilibus speciebus, sive accidentibus panis, & vini invisibile corpus, & invisibilem sanguinem Christi. Ergo. Tertiò, Sacrificiorum proprium est, ut absumatur, vel mutetur, quod Deo offertur. Atqui in Missa Pontificia hostia, quæ Deo à Pontificiis offerri fingitur, non absumitur, &

nihil distinctæ mutationis ipsi obtingit: Nam Panis & vinum, corpus & sanguis Domini manent, quod ante erant. Ergo.

32. Dicis, Panem & vinum in Missa mutari, illum in corpus Domini, hoc in ejus sanguinem.

33. Resp. 1. Posito, nunquam tamen concessio, panem substantialiter mutari, ne quicquam tamen propterea obtinebunt Pontificii: Siquidem opinantur transubstantiationem fieri per consecrationem, & sic non ipsâ oblatione, sed ante eam. 2. vel dupliciter panis, & vinum mutarentur, nimirum per consecrationem, & per oblationem. 3. Fictitia illa panis & vini transubstantiatio non corpori, & sanguini Christi, sed externis symbolis obtingere fingitur. 4. Si mediante hac transubstantiatione corpori, & sanguini Christi mutationem obtingere Romanenses affirmarint; consequens fuerit toties mutari, & destitui corpus Christi, quoties Missa celebratur. At hoc impium est in Christum. Uti enim mors, sic mutatio non dominabitur ipsi amplius, Rom. 6. v. 9.

34. Quartò, In omni sacrificio propriè dicto requiritur certa victima, quæ offerri debet, quæ sit à Deo ipso expressis verbis, non humano arbitrio definita. Destituitur ea Missa Pontificia. Ergo.

35. Quintò, In omni sacrificio propriè dicto requiritur persona ad hoc ipsum munus à Deo singulariter ordinata; quæ actionem perficiat illis ritibus, atque ceremoniis, quas non homines excogitarunt, sed Deus ipse expressè præscripsit; Et quidem eâ intentione, eoque fine, quem Deus ipse definivit. Atqui dari ea nequeunt in Missa Pontificia. Ergo.

36. Contra apertam hanc veritatem ratiunculæ quasdam ex nonnullis contortis, & male intellectis Scripturæ testimoniis colligunt Romanenses. Primam & præcipuam mutuatur à sacerdotio Melchisedechi. Ipse enim erat Sacerdos Dei altissimi, quia sacrificavit panem, & vinum, Gen. 14. v. 18. Christus autem est Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, Psalm. 110. v. 4. Hebr. 7. v. 17. At Melchisedechi sacrificium fuit incruentum sub specie panis & vini. Ergo si Christus est Sacerdos secundum ordinem Melchisedechi, & non Aaronis sacrificium instituere debuit incruentum, & sub specie panis, & vini. Deinde sacrificium Melchisedechi neque initium habuit, neque finem habebit.

habeat, *Heb. 7.* Ergo est æternum. At Christus est Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Ergo instituere debuit sacrificium æternum, in quo panis & vinum quotidie offeratur, *Bellarminus pag. 948. Eckius in Homil. pag. 78.*

37. Resp. 1. Non ex ratiocinationibus humanis, sed ex aperto Dei verbo extruuntur dogmata Christiana. 2. A figuris sive typis non ducuntur argumenta *ἀποδεικνύειν*, si non ex Scripturâ ostendi possit applicatio. 3. Quid? Num Christus offert panem & vinum in Eucharistia? At Concilium Tridentinum dicit *Sess. 22. c. 2.* offerri in Missâ corpus, & sanguinem Domini. 4. Si Christus est propterea offerendus sub pane, & vino in Eucharistia, quia Melchisedechus, qui ejus figura fuit, obtulit panem, & vinum, sequitur quod sub specie agni sit etiam in Eucharistia offerendus: Nam agnus Paschalis, qui ejus fuit figura, est mactatus & assatus. 5. Si sacrificium panis & vini à Melchisedech offerri solitum, manet in Eucharistiâ N. Testamenti; falsum est figuras, & umbras V. Testamenti per Christum esse sublatas. Posterius est absurdum, *Heb. 7.* Ergo.

38. 6. Simplicissima verò sententia testimonii illius *Gen. 14. v. 18.* est, quod Melchisedech Abrahamo de victoriâ gratulaturus panem & vinum secum sumpsit, & Abrahamo ad reficiendum exercitum donaverit. 7. Nam in textu legitur *וַיֵּצֵא* eduxit, protulit, & quidem panem & vinum. 8. Nomine panis non incommode hoc loco intelligitur omnis generis cibus, ut & *Gen. 43. vers. 31. c. 49. vers. 20. Esa. 58. v. 7.* & in oratione Dominica. 9. Finis facti hujus Melchisedechi non est immolatio, sed de victoriâ gratulatio, lætitiæ contestatio; exercitus refectio. 10. Protulit enim Melchisedech panem, & vinum Abrahamo & exercitui ejus. Si igitur per prolationem panis, & vini sacrificium intelligeretur, annón Melchisedech sacrilegium commisisset non Deo, sed hominibus sacrificando. 11. Collatio inter Melchisedechum, & Christum non ex corruptâ ratione, sed ex Scriptura est petenda: Hæc enim illum cum Christo confert primò nomine: Melchisedech fuit Rex simul & Sacerdos, ita & Christus. Secundò officio: Melchisedech fuit rex Salem, hoc est, pacis: ita & Christus est princeps pacis *Esa. 9. vers. 6.* Tertio

ratione Sacerdotii propter benedictionem: Melchisedech benedixit Abrahamo tanquam major: Christus est Major omnibus levitici generis Sacerdotibus, Gal. 3 v. 8. 9. 10. Quartò, quod fuerit ἀπαύτως, ἡγήσθη ἀπαύτως hoc est, ignoti patris, & ignota matris: Itaq; Christus est ἀπαύτως respectu humanitatis, ἀπαύτως respectu Deitatis: Quintò Melchisedech nullos habuit in Sacerdotio successores: ita Christus manet Sacerdos in perpetuum. At Missæ sacrificii ne mentio injicitur.

39. Excipit Bellarminus 1. verbum *ἔσθι* licet ex se nihil aliud significet, nisi proferre seu adducere, tamen pro loci exigentia sepe usurpatur pro adductione hostiæ ad immolationem, ut Jud. 6. v. 18. 19. 2. Dicitur Melchisedech Sacerdos. Ergo proferendo sacrificavit.

40. Resp. 1. Aliud est sacrificare, & aliud hostiam adducere Jud. 9. significat vox ista hostiæ productionem, & non immolationem. 2. Num absque sacrilegio sacrificare potuit Melchisedech Abrahamo: 3. particula hoc loco est copulativa, & non causalis, & copulativè editio vulgata eam reddit. 4. Notantur enim copulativè duo actus Melchisedechi, alter est regius, nimirum panis & vini donatio, alter est sacerdotalis, nimirum benedictio.

41. Secundam objectionem petunt pontificii ex Mal. 1. v. 11. *Ab orta solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco oblatum incensum nomini meo oblatio munda.* Ergo in N. Testamento in omni loco est sacrificium Missæ celebrandum: Id enim prædicat Propheta.

42. Resp. 1. Impium & sacrilegium est, nullum aliud agnoscere sacrificium externum N. Testamenti, quàm impuram illam Missam papisticam, de quâ nihil novit universa Scriptura. Habemus enim aliud sacrificium externum, quod maximopere prædicat Epistola ad Hebræos, illudque in locum sacrificiorum Leviticorum unice successisse testatur, nimirum agnum illum Dei immaculatum, Jesum Christum, qui *semel se obtulit*, Heb. 9. v. 14. *Quique unâ oblatione semel factâ consummavit in æternum sanctificatos*, Heb. 10. v. 10. 14. Cui sacrificio aliud in super addere præsertim propitiatorium summa impietatis est. Supposititium autem illud pro unico externo N. Testamenti sacrificio agnoscere extremi sacrilegii. 2. Vaticinatur Prophe-

ta de sacrificio spirituali, ut sunt universalis Evangelii prædicatio, & nominis Dei in toto orbe celebratio. Hujusmodi sacrificium Deo est mundum etiam si in offerentibus humanæ imbecillitatis hæreant maculæ.

43. At inquit Jesuita, esse verba hujus Prophetæ intelligenda de sacrificio propriè dictis probatur ex voce quâ utitur Prophetæ: Nam vocat absolute, מִנְחָה, quæ vox significat propriè certum genus sacrificii externi, quod ex similia, oleo, & thure conficiebatur, ut patet ex Levit. 2. & 6.

44. Resp. 1. Regula illa Jesuitica refutatur contrariis exemplis, Psalm. 141. vers. 2. vocat David elevationem manuum absolute מִנְחָה sacrificium vespertinum. 2. Si Mincha in vaticinio Malachiæ significat sacrificium externum, & quidem Missam Papisticam, sequitur in Missa non nisi panem offerri Domino: Significabat enim Mincha oblationem fructuum terræ, & rerum inanimatarum, ut constat ex Lev. 26. Num. 15. 28. 29. capitib. 3. Si מִנְחָה significat sacrificium seu oblationem externam, etiã alterum vocabulum, quod additur, קָטָר suffumigatum seu incensum, significabit suffumigationem, seu incensionem, & sic in Missa non tantum mactanda, sed etiam incendenda erit victima. 4. Quæ omnia cum sint absurda, sequitur prophetam res Novi Testamenti proponere vocabulis Veteris Testamenti, hoc est, agere de sacrificiis Christianorum spiritualibus phrasibus V. Testam. quo sensu Apostolus etiam hortatur, ut corpora nostra exhibeamus hostiam viventem sanctam &c. Rom. 12. v. 1. Et gentes per prædicationem Evangelii ad regnum Christi vocatus appellat oblationem sanctificatam, Rom. 15. v. 16.

45. Instat Bellarminus, Prophetæ, inquiens, opponit sacrificium ita mundum ex se, & generaliter, ut non possit malitia Ministrorum fieri immundum ei sacrificio, quod facile pollui potest, & quod non est semper mundum. Id patet. Nam de sacrificio judaico dicit: Offertis panem pollutum. Et: Si offeratis cæcum, & claudum, nonne malum est? Vbi ostendit sacrificia illa pollui potuisse.

46. Resp. Quamvis preces, & fidelium opera imperfecta sint, quæ coram Dei judicio consistere aut quicquam promereri non possunt, tamen sunt non immunda, sed munda, non quidem ex se, &

sua dignitate; Sed 1. respectu primi authoris Spiritus S. à quo proficiuntur. 2. Respectu personæ justificatæ, quæ per Christum, in qua omnia munda sunt, sacrificia sua spiritualia offert Deo, Heb. 13. vers. 16. Phil. 4. v. 8. 3. Adhærentes igitur maculæ teguntur merito Christi. Unde fit, quod, cum persona Deo placeat, opera quoque ejus, utcumque imperfecta, displicere non possint.

47. At inquit Jesuita, oblationem illam, de qua agit Propheta. esse novam. Sacrificia verò spiritualia omnia fuisse apud Judeos. Non loquitur Malachiam de sacrificio spirituali.

48. Resp. 1. Fuerunt sacrificia spiritualia, ut preces, laudes, fides, concio Evangelii etiam in V. Testamento; Sed non nisi variis sacrificiorum typis obscurata; in novo v. Testamento clarior illorum lux effulsit discussis umbrarum leviticarum nebulis. Quare nova sunt sacrificia, non quidem ratione rei, sed respectu clarioris manifestationis: Credimus enim & invocamus Messiam non amplius futurum, sed jam exhibitum. 2. Nova est prædicatio hæc respectu circumstantiarum: Non tantum enim Ecclesia est circumscripta Judææ terminis; Sed pervasit totum terrarum orbem Mar. 16. v. 15. Col. 1. v. 23. Nomine autem mundæ oblationis intelligi etiam Ministerium Evangelii docet Apostolus, Rom 15. v. 16.

49. Quæstio secunda: Num Missa sit sacrificium incruentum?

50. Resp. Commune Pontificiorum effugium est, ut, contra Theologorum nostrorum fundamentum, & scripturæ assertionem, Christum semel pro nobis oblatum esse docentis; distinguant inter sacrificium cruentum & incruentum: [Intelligendum illud esse], ajunt, de sacrificio cruento & non incruento, cujusmodi est Missa.

51. Commentum verò hoc 1. ignorat Scriptura. 2. Deviat à verbis institutionis Cœnæ. 3. Repugnat naturæ subjecti: Nam in Christi sacrificio expressa fit mentio effusionis sanguinis, & mortis, Heb. 9. & 10. sanguinem autem effundi incruentè dici non potest, nisi ab iis, quibus volupe est contradictiones implicare. Neque moti dici potest de sacrificio incruento, quod ipsi fatentur Papistæ. 4. Adversatur apertæ scripturæ. Absq; sanguinis effusione non fit remissio, Heb. 9. v. 22. Fingunt autem Pontificii, sacrificium illud cruentum esse

propitiatorium pro peccatis. Quare oportet in eo esse, sanguinis effusionem, & sic erit cruentum. 5. Si Cœnæ sacrificium incruentum est: Ergo non est idem sacrificium, quod Christus in cruce obtulit (ut volunt pontificii) quia illud fuit cruentum. Aut sequitur idē numero esse sacrificium cruentum, & incruentum, quod est absurdum. 6. Aut incruentum sacrificium idem est cum cruento, & tum falsum est, panem & vinum dici sacrificium: Hæc enim elementa non sunt oblata in ara crucis; Aut non est idem, & tum cadit assertio concilii Tridentini. 7. Denique si incruentum sacrificium corporis, & sanguinis est in Cœna: Ergo est sacrificium absque immolatione. Ergo cruentum sacrificium non est perfectum.

52. Tertiā objectionem petunt pontificii ex cap. 4. Johan. ubi Dominus ipse, inquit Bellarminus, vaticinium Malachie exponere videtur cum sit ait: *Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.* Hæc verba manifestè significant Dominum loqui de adoratione novâ, quæ antea non erat, & quæ initium haberet à Christo. Hujusmodi sacrificium est illud externum missificum.

53. Resp. 1. Mulier Samaritana Johan. 4. quæstionem multis seculis inter Judæos, & Samaritanos agitatum Christo proponit, de vero, nimirum adorationis cultu, quo loco is peragi debeat. Respondet igitur, Christus nunc tempus illuxisse, quo hæc omnes circumstantiæ, quibus hucusque cultus sacer quasi devinctus & alligatus fuit, sint abrogandæ, ut neque ad illum montem, neque ad Hierosolymitanum templum preces sint astringendæ; Sed veri adoratores illis circumstantiis omnibus antiquatis ubique Patrem Spiritu, & veritate sint invocaturi. 2. Cultus igitur hic etiam dicitur novus, non respectu rei, sed novi modi.

54. Quæstio tertia: Num Missæ necessario sint latinè dicendæ?

55. Resp. Quemadmodum ipsam Pontificiorum improbamus missam: ita assertionem Eckii c. 35. Bellarm. lib. 2. c. 9. & aliorum, *Missas necessariò latinè esse dicendas, statuentium*: Nam 1. Non in lingua ignota, sed nota fieri debent preces, cani Psalmi, dici Eucharistiæ. 1. Cor. 14. v. 15. 17. 26. 2. Nullò in Ecclesia alteri idiome debet esse barbarus, 1. Cor. 14. v. 11. Sunt autē illud ipsū suis auditorib. Pontificii ritum hunc tan-

tanquam necessarium urgentes. 3. Omnia in Ecclesia fieri debent κατὰ τὰς ἑν 1. Cor. 14. v. 40. Quis autem affirmare illud poterit de Ecclesia Romanâ, in quâ ejusmodi confusio celebratur? 4. Cœna mysterium debet esse omnibus notum, 1. Corinth. 10. v. 15. 16. οἱ ὀφειλοῖς λαλῶ. Num verò illud ex linguâ, quæ ipsis est ignota, auditoribus potest innotescere? 5. Nulla lingua dignior est præ alia ad salutem. Omnes enim linguas Deus Evangelio sine discrimine concessit, Actor. 2. Et verba sunt rerum signa. Quæ igitur causa, quod lingua Latina in fidei mysteriis necessariò aliis sit præferenda? 6. Notæ linguæ usus apud plurimos populus fuit observatus puta Hebræos, Græcos, &c. 7. Praxin linguæ vernaculæ collaudant nonnulli Pontificii, utpote Cassiodorus, Isidorus & alii.

Finis Disputationis XXXII.





Disputatio XXXIII.  
DE POENITENTIA.

RESP. M. Wenemaro Elbero, Hattingâ-  
Westphalo.

THESIS I.

**P**osuit Deus in nobis *ministerium reconciliationis*, 2. Co-  
rint. 5. v. 18. Ut impœnitentibus Legis minæ, conver-  
tentibus se Evangelii gratia *idolos*, & speciatim an-  
nunciatur.

2. Faciunt de pœnitentiâ Pontificii Sacra-  
mentum propriè ita dictum, & alias impias opinio-  
nes de eâdem alunt. Commoti igitur sunt Protestantes, ut modestè  
eos de his gravissimis erroribus admonerent, & ut eos abjiciendos  
esse ostenderent.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

3. Pœnitentia est hominis peccatoris magnitudinem delictorum ex le-  
ge cognitam deplorantis per fidem ad Deum conversio.

4. Cadit enim justus in die septies: idèò quotidie verà pœni-  
tentiâ opus habet. Et gaudium est in cœlo est super uno peccatore  
pœnitentiam agente, Luc. 15. v. 7.

5. In pœnitentiâ est hominis peccatoris conversio non qui-  
dem substantialis, sed accidentalis, sive non secundum substantiam,  
sed secundum accidentia & affectus. Convertitur enim à viâ suâ ad  
Dominum, hoc est, à viis pessimis sive ab injustitiâ ad justitiam, E-  
zech. 33. vers. 11.

6. Itaque duo in pœnitentia notandi sunt termini à quo, &  
ad quem. Terminus à quo est peccatum, injustitia, via pessimâ; Ter-  
minus ad quem est gratia & favor Dei, seu terminus à quo est recessus  
à malo; terminus ad quem accessus ad bonum. Sacræ literæ utrumque

exprimunt veram pœnitentiam describentes a motione pravitatis, & successione sanctitatis, atque declinatione à malo ad bonum, *Psal. 34. v. 13. Esai. 1. v. 16. 17.* Item abiectione, & mortificatione veteris hominis, & indutione novi, *Rom. 6. v. 4. 5. 6.* conversione à tenebris ad lucem, à potestate Satanae ad Deum. *Act. 26. v. 18.*

7. Ordinem pœnitentiæ hunc ostendit scriptura: Per Legem peccatum cognoscitur, *Rom. 3. v. 20.* Per legem cognitio peccati. *Rom. 7. v. 7.* Peccatum non cognovi nisi per legem. Vulnere igitur lex ostendit, accusat, arguit, minatur, *Rom. 4. v. 15.* Est enim tanquam malleus conterens petram, *Jer. 23. v. 16.* Numquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram. In homine igitur peccatore peccatum suum, ejusque magnitudinem, atque meritum ex lege agnoscente oritur dolor, & pavor, adeoque contritio, & humiliatio: Incipit enim peccatum odio prosequi, & detestari; Iram vero Dei metuere. Cordi contrito, & humiliato, variisque modis vulnerato Evangelium ostendit medicum, nimirum Christum, factum sub lege, ut nos qui sub lege eramus à maledictione redimeret. Hic igitur, ejusque meritum, verâ fide est apprehendendum. *Job. 6. v. 40. Rom. 3. v. 26.* Ordo ille clarissimè docetur. *Jer. 31. v. 18. 19.* *Audens audivi Ephraim transmigrantem, castigasti me, Domine, & eruditus sum quasi juvenculus in domibus. Convertite me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam: Et postquam ostendisti mihi, percussisti femur meum. Confusus sum & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.*

8. Partes igitur pœnitentiæ duæ sunt: Contritio & fides juxta illud. *Mar. 1. v. 5.* Pœnitentiam agite, & credite Evangelio.

9. Contritio est vera cordis ob agnita ex lege Dei peccata, justissimas Dei pœnas expavescentis tristitia. Est verò alia piorum, alia impiorum & hypocritarum: Illa oritur ex speciali operatione Spiritus S. hæc ex veteri homine, & naturalibus liberi arbitrii viribus. Illi intuentur principale peccatorum objectum Deum & propter ejus offensam unice dolent; Hi mentis suæ, & aliorum judicia extimescunt, & ob pœnam magis quam culpam dolent. Illi agnoscunt etiam peccata interiora, hi tantum externa. Illi judicia Dei esse justa confitentur; hi delicta sua extenuantes Dei justitiam vellicant.

10. Finis Contritionis non est peccatorum ob ejus dignitatem

rem expiatio: Christus enim vulneratus est propter iniquitates nostras, ipse attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostrae super eum, & livore ejus sanati sumus, *Esa. 53. v. 5.* sed Christi, ejusque beneficiorum dulcedo. Ided igitur contritio necessaria est, ut peccatorum magnitudine cognitâ Christus magis magisque nobis dulcescat, *Matt. 11. v. 5.* Requiritur igitur in conversione, non ut causa & meritum, sed ratione ordinis.

11. Fides est agnita ex divino verbo per Spiritum S. divina misericordia aper Christum in promissione Evangelica fiducialis apprehensio.

12. Requiritur igitur fides, ut apprehendamus Christum, ejusque beneficia.

13. Fructus pœnitentiæ sunt bona opera *Matt. 3. v. 8. Luc. 3. v. 8.* Facite fructus dignos pœnitentiâ, *Act. 26. v. 20.* His, qui sunt Damasci primum & Jerolymis, & per omnem regionem Judææ, & gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes *Gal. 5. v. 22.* Fructus Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides.

14. Quare ita ex dictis illis colligimus: *Quicquid non constituit pœnitentiam, sed eam constitutam sequitur, eaq; est posterius, illud non est essentialis pœnitentiæ pars. Atqui nova obedientia non constituit pœnitentiam, sed eam constitutam sequitur, eaq; est posterior. Ergo.*

15. Usurpantur vocabulum pœnitentiæ in scriptura vel ὀλικῶς pro tota hominis conversione *Matt. 3. v. 2. Luc. 13. v. 3. c. 15. v. 7. 10. Rom. 2. v. 4.* vel μερικῶς pro sola contritione, quæ est prior pœnitentiæ pars, *Mar. 1. v. 15. Luc. 24. v. 47. Act. 20. v. 21.* In priori significatione Synonyma habet conversionem, & resipiscentiâ, diciturque græcè μετανοία: Sicut enim μετανοεῖν significat sententiam retractare, & malum consilium immutare: Ita is resipiscere dicitur, qui post factum incipit sapere; Sed & hæc appellatio sæpe usurpatur μερικῶς, ut *Mar. 1. v. 15. μετανοεῖτε, καὶ πιστεύτε. Act. 20. v. 21.* Paulus prædicavit πρὸς εἰς τὸν θεὸν μετανοεῖν, καὶ πιστεῖν.

16. Posterior pœnitentiæ significatio facile colligitur ex epithetis, utpote ex subjecto, *Deut. 30. v. 1.* Ductus pœnitentiâ cordis tui. Aut ex objecto peccato, *Levit. 5. v. 5.* Agat pœnitentiam de peccato, *Jer. 8. v. 6.* Nullus est, qui agat pœnitentiam de peccato suo. Vel ex

alterâ parte, quando videlicet *ἀντιπροσφύλαξις* pœnitentiæ adjungitur fides, remissio peccatorum, gratia: Tunc enim non totam conversionem, sed alteram ejus denotat partem.

16. Vis vocabuli pœnitentiæ ad posteriorem declinat significationem. Gellius dicit libr. 17. cap. 11. *Pœnitere tum dicere solemus, cum qua ipsi fecimus, aut qua de nostrâ voluntate, nostroq; consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamq; in eis nostram demutamus.*

17. Unde quibusdâ veteribus commodior visa est vox *Resipiscentiæ*. Lactantius libr. 6. Inst. c. 24. Sicut nihil prodest malè viventi ante actæ vitæ probitas, quia superveniens, nequitiæ justitiæ opera delevit: Ita nihil officium peccata vetera correcto, quia superveniens justitiæ labem vitæ prioris abolevit. Is enim, quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit. Ideoque Græci melius, & significantius *μετάνοια* dicunt, quam nos Latine possumus Resipiscentiæ dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insaniâ recipit, quem errati piget, castigatque seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius vivendum.

18. Sed judicare nos oportet de appellatione istâ ex usu Ecclesiæ, & ex Scripturâ sacrâ, de cujus usu jam dictum est.

19. Tribuitur quidem pœnitentiæ sæpe Deo, ut *Genes. 6. v. 6.* sed *ἀντιπροσφύλαξις*; non *ἑορταδῶς*; *ἐνεργητικῶς*; non *παθητικῶς*. Regula theologica est: *Verbum sensus, & affectus non affectum, sed effectum in Deo denotat.*

20. Augustinus libr. 15. de civit. Dei cap. 25. Ut ira Dei non est animi ejus perturbatio, sed judicium, quo irrogatur pœna peccato: Ita pœnitentiæ ejus est mutandarum rerum immutabilis dispositio. Ambrosius libr. de arca Noah c. 4. Non cogitat Deus sicut homines, ut aliqua ei nova accedat sententiâ; sed idè hæc leguntur, ut peccatorum nostrorum acerbitas exprimat.

#### SENTENTIA PONTIFICIORUM.

21. Pœnitentiæ est Sacramentum N. Testamenti propriè ita dictum, fundatum in potestate clavium, quæ non nisi post Christi resurrectionem Ecclesiæ ministris data est, Bellarminus libr. 1. de Pœnit. c. 8. Eckius Homil. 37. pag. 111. Et in Enchir. p. 57.

22. Stapletonus part. 2. expl. 87. p. 312. Quartum, inquit, Sacramentum

mentum est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis.

23. Terror animo incussus à lege, quem Lutherani contritionem, sive mortificationem appellant, non rectè inter partes pœnitentiæ numeratur. *Bellarmin. lib. 1. cap. 18.*

24. Fides non est pars pœnitentiæ, licet ad eam efficiendam necessariò requiratur, *Bellarminus ibidem.*

25. Sunt verò tres Pœnitentiæ partes: *Contritio cordis, confessio oris, satisfactio operis*, *Bellarminus lib. 1. de pœnit. cap. 15. & 19.*

26. *Stapletonus part. 2. explic. 87.* Actus pœnitentis in tres, inquit, distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commissò cum proposito non peccandi de cætero. Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet suo sacerdoti confiteatur integrè. Tertia est satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis: Quæ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium & elemosynam.

27. Contritio est actio bona, & libera, atque ad Evangelium pertinens, *Bellarmin. lib. 2. de pœnit. c. 2.*

28. Contritio est causa remissionis peccatorum non tantum verè, & per se efficiens, sed etiam verè meritoria, saltem ex congruo, *Bellarmin. lib. 2. c. 26.*

STATUS CONTROVERSIAE.

29. *Quaestiones igitur controversae sunt: 1. Num pœnitentia sit Sacramentum propriè dictum? 2. An vera ejus sint partes: Contritio & fides? 3. Quid sit sentiendum de tribus pœnitentiæ partibus, quas tradunt Pontificii? 4. Vtrum contritio ad legem, an verò ad Evangelium pertineat? 5. Num contritio à se, & per se à peccatis liberet?*

30. *Quaestio prima: Num pœnitentia sit Sacramentum propriè dictum?*

31. *Resp. Concilium Trident. Sess. 4. cap. 1. can. 1.* Si quis dixerit, in Catholicâ Ecclesiâ pœnitentiam non esse verè & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum, anathema sit. Idem tenent reliqui Pontificii.

32. Ne verò controversia hæc videatur verbalis, rectè monet

Dominus Chemnitius, probè attendendum esse, quid sit illud, quod in controversiâ est positum præsertim cum Pontificii verum statum hujus controversiæ turbare soleant mixtione aliarum quæstionum.

33. Docent igitur nostri *primò*, transgressores legis peccatis contra conscientiam admissis excutere fidem, & Spiritum S. Proinde reos eos fieri iræ Dei, & æternæ damnationis nisi pœnitentiam agant, *Rom. 8.1. Cor. 6. Gal. 1. & 5. Eph. 5. Col. 3.* Secundò, celebrant immensum Dei beneficium, & misericordiam promittentis, se in gratiam recepturos post Baptismum lapsos, quocunque tempore, & quotiescunque pœnitentiam agant. Damnant igitur Novatianos semel justificatis, & post Baptismum lapsis spem vel prorsus negantes, vel in dubium vocantes. Tertiò, Nemo lapsus reconciliatur Deo, nisi pœnitentiam agat, *Luc. 13. v. 3.* Nisi resipueritis, omnes simul peribitis, *Rom. 2. v. 5.* Juxta duritiem tuam, & cor pœnitere nescium colligis tibi iram. Quartò, convertit homines Deus non ἀμύεως, sed ἐμμέως, non ἐνδυσιασιν, sed ἀνδυσιν. Modum enim convertendi & media conversionis præscripsit in Scriptura, ad quam sumus astricti. Reconciliationem igitur, ac remissionem peccatorum lapsi per, & propter Christum fide in verbo quærant, & apprehendant.

34. Hæc igitur extra controversiæ aleam sunt posita, ac propterea cum ipsa verâ quæstione non sunt confundenda.

35. Legitimum verò statum controversiæ ostendit modus conversionis Pontificii. *Quærentem enim reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum abducunt à fide obedientiæ, passionis, & satisfactionis Christi ad fiduciam actionis, propriæ contritionis, confessionis, & satisfactionis, ut si ad illa ipsius opera accedat verbum absolutionis, sit verus modus agenda pœnitentiæ, & habeamus causam efficientem, & conferentem reconciliationem, & remissionem peccatorum. Hic igitur est verus status Disputationis, quæ quæritur. Num pœnitentia sit tale Sacramentum?*

36. Appellatio Sacramenti est ἀρεσκ, & generaliter usurpari potest, ita ut si res maneat salvæ, de vocabulis facile possit constitui consensus. Unde Apologia Augustanæ confessionis, ne videatur præter necessitatem, de verbis potius, quam de rebus ipsis contendere, nominat Absolutionem Sacramentum vel ἐν πλάτῃ, vel quia pleræque requisita in ea deprehenduntur. Respicit enim ad applicationem divinæ gratiæ, quæ fit in absolutione. Proprium igitur Sacra-

Sacramentorum applicatur singulis credentibus nimirum generalis promissio Evangelii de reconciliatione cum Deo, & remissione peccatorum propter meritum Christi. At si additur illa pars definitionis Sacramenti, quæ meminit symbolorum, sive elementorum, planum est, Absolutionem non esse Sacramentum, scilicet, quam maximè propriè & strictè ita dictum.

37. His sic positis ita argumentamur i. *Nullum Sacramentum est utriusque Testamento veteri juxta, & Novo commune, sed alterutri tantum peculiare, & proprium: Quandoquidem Testamenta illa Sacramentis divisa esse, certum est. Atqui pœnitentia fuit, & viguit apud fideles tam in veteri, quam in novo Testamento. Ergo.*

38. Excipit Concilium Tridentinum Sess. 4. c. 1. *Nec ante adventum Christi, inquit, pœnitentia erat Sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante Baptismum.*

39. Resp. 1. Lombard. lib. 4. distin. 22. lit. C. *Sacramentum pœnitentiæ, inquit, sicut & conjugii, ante tempus gratiæ, etiam à primordio humani generis fuit.* Egregiè igitur Pontificii inter se consentiunt, scilicet. 2. Oedipo haud opus est ad indicandam rationem, cur Concilium Tridentinum neget pœnitentiæ V. Testamenti fuisse Sacramentum: Nam in illa pœnitentiâ gratis, sine operibus, fide propter Christum remittebantur peccata. Contritio igitur erat interior: Et confessio non habebat singulorum delictorum enumerationem: absolutio impertiebatur, non præmissio judiciali processu, & impositâ pœnâ, sed gratis peccata sua deplorantibus, iram Dei timèntibus, & fide propter Christum Deum petentibus, & reconciliationem quærentibus. Apostolus Petrus dicit, Act. 10. v. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, qui credunt in eum. Docuerunt igitur Prophetæ, remissionem peccatorum in conversione accipi, non per, & propter pœnitentium opera, sed propter promissum benedictum semen per fidem in ipsum.* 3. Differt igitur pœnitentia Patriarcharum, & Prophetarum à pœnitentiâ Pontificiâ in multis: In illâ pœnitentiâ gratis remittebantur peccata; hæc propria requirit opera: Illa non requirebat singulorum delictorum enumerationem, sed confessio, quæ coram Ecclesia fiebat, non Sacerdoti in aurem, sed Deo fuit facta; hæc illam requirit: Quæ enim peccata reticentur, & Ecclesiæ ministro non revelantur, illa non remittuntur.

mittuntur: In illâ castigationes post reconciliationem, non à Sacerdote fuerunt impositæ, sed ab ipso: Absolverunt enim Propheta non suâ judiciariâ potestate, sed ministerio; At in hac à verbi Ministro, tanquam à Judice castigationes imponuntur. Quare pœnitentia illa non fuit talis, qualem jam fingunt Pontificii. 4. At Apostoli docent, se de pœnitentia, & remissione peccatorum non aliter docere, quàm docuerunt Propheta, ut Apostolus Petrus, *Act. 10. v. 43.* Et Apostolus Paulus, *Act. 26. v. 20. 22.* Gentibus annuntiabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Auxilio autem adjutus Dei usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori, nihil extra dieës, quàm ea, quæ Propheta locuti sunt futura esse, & Moyses. Ergo doctrina Romanensis de pœnitentia non est Prophetica, & Apostolica.

40. 2. *A defectu partis essentialis:* Cujuslibet Sacramenti propriissimè sic dicti datur visibile elementum à Deo mandatù & præceptum, Augustinus tract. 80. in Joh. accedat verbum, inquit, ad elementum, & fit Sacramentum. Atqui in pœnitentia non potest assignari elementum visibile à Deo mandatù, & præceptum. Ergo Sacramenti definitio adaptari nequit pœnitentiæ. Cui autem non competit definitio, ei nec definitum attribui potest.

41. Sed compendium Theologiæ Pontificiæ, materiam seu elementum hoc loco largè accipiendum esse, ait, pro omni re, siue sit substantia externa, siue actio humana. Atque ita in pœnitentiæ Sacramento, dicit Elementum esse exteriores actiones, siue operationes hominis pœnitentis, nimirum cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem. Et si verbum absolutionis à Sacerdote prolatum, ad illas operationes accedat humanas, tunc inde fieri sacramentum, quod gratiam efficiat, & conferat, hoc est, quod nos Deo reconciliet, & remissionem peccatorum efficiat. Bellarminus lib. 1. de Pœnit. c. 11. In Sacram. inquit, pœnitentiæ, in quo pro symbolo externo confessionem pœnitentis, & absolutionem voce corporali à Sacerdote pronunciatam habemus, vera & propria Sacramenti ratio minimè desideratur.

42. Resp. 1. Num humana seu propria opera, si accedat verbù absolutionis fiunt, & sint Sacramentum, h. e. num efficiunt, & conferunt gratiam reconciliationis cum Deo, & remissionis peccatorum? 2. Secundum hanc Romanensium opinionem Augustini regula erit hoc modo formanda: Accedat verbum ad verbum, & fit Sacramentum.

tum. 3. Annon omne sacramentum integrum administratur à Ministro, & à percipiente illud integrum percipitur? Atqui in pœnitentiâ Confessio est actio, sed non Ministri. Absolutio est tantum inter Ministrum & pœnitentem. 4. Absolutio est verbum consolationis, & efficacis testificationis gratiæ Dei, & remissionis peccatorum antegressæ pœnitentiæ respondens. Non est igitur Pœnitentiæ pars.

43. 3. *A sine sacramentorum.* Sacramenta sunt media fidei confirmandæ. Ergo habent se ad fidem ut instrumenta, per quæ illa nobis confertur, in nobis locupletatur, & confirmatur. Pœnitentia verò nec medium, nec instrumentum est fidei conferendæ & confirmandæ, sed habet se ad fidem collata, ut totum ad suam partem: Siquidem fides pœnitentiæ pars est. Ergo pœnitentia non est propriè dictum sacramentum.

44. 4. *A virtute Baptismi.* Nam Baptismus est pactum, sive fœdus, 1. Pet. 3. v. 21. Quod ex parte Dei est ἀμεταμελητόν Rom. 11. v. 29. Deº fidelis permanet, se ipsum negare non potest, 2. Timot. 2. v. 12. Recordare, vnde excideris, Apoc. 2. v. 5. Quare virtus Baptismi extendit se per totum hominis vitam: Fœdus enim ex parte Dei manet constantissimum. Itaque nova tabulâ non est opus: Resipiscentes ad fœdus illud quo vis tempore recurrere possunt.

45. De circumcissione dicit Jehova Gen. 17. v. 13. Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum. Et Osee. 2. v. 9. Sponsabo te mihi in fœdus in justitia & iudicio, in misericordia, & miserationibus. Esa. 54. Montes quidem commovebuntur, & colles loco cedent: Misericordia autem mea non recedet, & fœdus pacis meæ non movebitur: Idq; similitudine filii deperditi declarat Christus, Luc. 15. Et Apoc. 2. v. 5. dicit Johannes: Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam. Itaque hominum incredulitas fidem Dei evacuare non potest, Rom. 3. v. 21. Si nõ credimº ille fidelis permanet, negare se ipsum nõ potest 2. Tim. 2. v. 23.

46. 5. *A mandato Dei jubentis in verbo suo homines ad istud pactum reverti.* Et dulcissima extat descriptio, Jer. 3. v. 1. Si dimiserit vir uxorem suam. &c. Hanc consolationem ad fœdus Baptismi rectè accommodari ostendit exemplum à conjugio sumptum. Eph. 5. Quemadmodum igitur concordia conjugali per contentiones turbata, non opus est novi matrimonii initione, sed sufficit mutua reconciliatio: Ita fœdere Baptismi ex parte hominis deperditi, non opus est pontificia illa

tabula secunda, quasi ex Papismo nullam amplius haurire possit consolationem; Sed per veram pœnitentiam redeundum est ad illud fœdus, q̄ Deus in Baptismo nobiscū pepigit à quo p̄ peccata discedimus.

48. 6. *Ab exemplis*: Nam lapsi recurrerunt ad promissionem gratiæ in Baptismo exhibitæ, collatæ, & obsignatæ, D. Petrus erectus dicit Baptisma nos salvat, *1. Epist. 3. v. 21*. Apostolus Paulus Galatas graviter lapsos, *Gal. 1. & 2. consolatur*, atque erigit ex suo Baptismo, *Gal. 3. v. 27*. Ut & Corinthios, *1. Cor. 6. v. 11*. nimirum eo fine, ut acta pœnitentiâ in posterum toti adhæreant Christo. Et in V. Testamento consolationes fuerunt petitiæ à circumcissione, ut docet exemplum Jonathæ, *1. Sam. 14. v. 6*. Davidis, *1. Sam. 17. v. 16*. Unde Apostolus circumcissionem vocat sigillum justitiæ fidei.

49. At Bellarinus lib. 1. de Pœnit. C. 8. Hic status controversia est, inquit: *An pœnitentiâ signis externis manifestata, accedente ad eâ verbo Absolutionis, sit Sacramentum novæ legis propria dictum*. Istum enim ritum conciliandi lapsos post Baptismum, qui ex Pœnitentiâ signis externis prodita, & verbo Absolutionis constat, Catholici veram, ac propriè dictum Sacramentum esse affirmant. Confirmare opinionem conatur lib. 1. cap. 11. ex *Job. 20*. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. Ex quibus verbis duo colliguntur, quæ ad omne Sacramentum propriè dictum constituendum, & requiruntur, & sufficiunt: ritus externus sive symbolū divinitus institutum, & promissio gratiæ justificantis, illi ritui sive symbolo annexa.

50. Resp. 1. Lombardum sentire, pœnitentiâ non primùm in N. Testamento, sed à primordio generis humani institutum esse, in præcedentibus ostendimus. 2. ubi hic externum visibile elementum? 3. Jubentur Apostoli *Job. 20*. prædicare non peccatorum, quæ per nostra fiat opera per solutionem, sed peccatorum propter Christi satisfactionem, remissionem. 4. Nullam facit Christus mentionem enumerationis peccatorum, nec injungendæ multæ, sed expressa in historiâ illa extat declaratio de prædicanda remissione peccatorum. 5. Generalis est sententia illa Christi de Ministerio Apostolorum. Si igitur Christus eo in loco Sacramentum instituit, sequitur omnem pœnitentiâ, & omnem absolutionem esse Sacramentum, etiam ante Baptismum. Nam *Luc. 24. v. 47*. Christus in eadem historiâ expressè loquitur de prædicanda pœnitentiâ inter omnes gentes non baptizata & de:

& aliud ministerium, seu aliud est ipsa potestas, & efficacia reconcili-  
 ationis, quæ est Dei propria; & aliud ipsum Ministerium, quod Apo-  
 stolis est datum. Ostendit distinctionem illam Apostolus, 2. Cor. 5. v.  
 18. 19. 20. Omnia ex Deo, qui reconciliavit nos sibi per Jesum Christum  
 deditq; nobis ministerium reconciliationis. Et posuit in nobis ser-  
 monem reconciliationis. Itaque nomine Christi legatione fungimur  
 tanquam Deo vos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, reconci-  
 liemini Deo, *De Consecrat. Dist. 4. C. 39.* Aliud est Baptizare per mini-  
 sterium, Aliud Baptizare per potestatem. 7. Remissio igitur & remissio  
 peccatorum per Ministerium Joh. 20. non fit potestate judiciaria, sed  
 annunciatione verbi legis & Evangelii, 8. Potestas hæc remittendi  
 peccata non minus fuit in veteri, quam in Novo Testamento. Ulus  
 est eâ Nathan in absolutione Davidis. Idq; aperte docet Apostolus  
 Paulus *Act. 26.* recitans summam doctrinæ suæ de pœnitentia, & sub-  
 jiciens, se nihil docuisse extra ea, quæ Prophetæ sunt locuti.

51. *Quæstio secunda: Quid sit sentiendum de tribus pœnitentiæ  
 partibus Romanensium?*

52. *Resp. Alia est conversio salutaris, & interna, & alia publica Ec-  
 clesiastica:* Tres pœnitentiæ partes, quâ dividitur conversio in contri-  
 tionem cordis, confessionem oris, & satisfactionem operis, locum  
 habebat, non in conversione internâ, sed in publicâ Ecclesiastica o-  
 lim ex veteribus usitata: Qui enim ob publica sua delicta ex cœtu Ec-  
 clesiastico excluderentur, ab eo præter internam cordis contritionem  
 requirebantur publica pœnitentiæ judicia, quibus Ecclesiæ satisfacere-  
 ret; At abutuntur divisione ea Romanenses salutaris pœnitentiæ par-  
 tes illas constituentes.

53. *Opponimus opinioni huic quædam in genere, acturi de  
 eâ in specie in subsequentibus. Primò: Quæcunque partes seclu-  
 dunt à Pœnitentiâ fidem, illæ non sunt partes pœnitentiæ salu-  
 taris: Sine fide n. pœnitentia esse nequit ad vitam, *Act. 11. v. 17. 18.* Et si-  
 neâ nemo placet Deo, *Heb. 11. v. 6.* At qui secludunt eam à pœnitentiâ  
 partes illæ Romanensium. Ergo.*

54. *Secundò, requirunt Pontificii sufficientem contritionem, &  
 quidem talē, ut si qui non adeò conterantur corde, & ingemiscant pro  
 peccato, ut contritio sufficiat ad puniendum peccatum, si ante exple-*

tionē discesserint ex hac vitā, ignem purgatoriū sint sensuri, *Lombar. li. 4. dist. 20.* Resp. cōtritio illa revera est carnificina conscientiarum. ]

54. Excipit Bellarm. *lib. 2. c. 11.* dicens, se non ejusmodi flagitare contritionē, quæ ira Dei magnitudinem æquet: De majori peccato magis, de minori minus esse dolendū. Item dolorem debere esse summum saltem appreciativè, non esse necessarium summum dolorem quoad intensiōem, sed tamen utilissimum esse.

55. Resp. 1. Contritio non hypocritica, aut superficialia, sed ex toto corde seria esse debet, ut homo se propter admissa peccata iræ Dei, mortis, & inferni reum esse agnoscat. 2. Quæ Philosophatur Bellar. de doloris cum voluptate ex peccato conceptâ æquatione, illa huc tenentur, ut conscientia semper hæsitare cogantur, an satis contrita sint, nec ne, atque sic illis revera carnificina ponitur. 3. Distinctio doloris vel appreciativè, vel intensivè sumpti caret fundamentis Scripturæ, & ratione. Merito igitur improbat.

56. Tertiò: Scriptura non tantum baptizatis, sed etiam post Baptismum lapsis, quantum ad satisfactionem pro peccato attinet, nobis proponit solum Christum propitiatorem, & cum illius satisfactione nulla nostra conjungitur. Illam verò applicamus fide.

57. Quæstio tertia: An vera pœnitentia partes sint contritio, & fides?

58. Resp. Duas pœnitentiæ esse partes nimirum contritionem & fidem probamus 1. à partibus doctrinæ Christianæ: Quot enim sunt partes doctrinæ Christianæ, per quas Deus pœnitentiam prædicat, & operatur, tot sunt pœnitentiæ veræ partes. Atqui duæ sunt ejusmodi doctrinæ Christianæ partes, nimirum lex & Evangelium. Ergo duæ tantum sunt veræ pœnitentiæ partes. Neque n. ex his junctis tertium quoddam exeat à lege & Evangelio distinctum, sed ad legis normam, & in fide Evangelicâ facta opera bona censeantur talvis, & inconfusus proprietatibus, & effectis singulorum.

59. 2. Ex Scripturæ dictis, *Mar. 1. v. 15.* Agite pœnitentiam, & credite Evangelio. 1. *Sam. 2. v. 6. 7.* Dominus mortificat, & vivificat, dedit ad inferos, & reducit. *Act. 2. v. 38.* Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum. *Luc. 24. v. 47.* Sic oportebat prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Ponitur remissio peccatorum pro fide, effectus pro causâ. *Act. 20. v. 21.* Testificans Judæis simul, & græcis, eam, quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem, quæ est erga Domi-

Dominum nostrum Jesum. Si Paulus Rom. 1. 2. & 3. Petrus 1. Epist. 1. 2. 4. has duas partes inculcant. *Quas igitur penitentia partes Christus, & Apostoli in suis scriptis tantum tradunt, & ponunt, eas nos agnoscamus oportet. Atqui tradunt, & ponunt illas duas tantum partes. Ergo.*

60. 3. *Ab exemplis Scripturae:* Nam Adamus coram tribunali Dei consistens voce legis, quam transgressus fuerat, accusatur, perterrefit, & conteritur; Postea voce Evangelii addita promissione gratiae de femine mulieris caput serpentis contrituro, erigitur. Similiter David, 2. Reg. 12. Psal. 51. Ezechias ægrotans, 4. Reg. 20. Esdras, Es. 9. Daniel. Dan. 9. Mulier peccatrix, Luc. 7. Publicanus, Luc. 18. Petrus, Matt. 26. Latro, Luc. 32. Paulus, Act. 9. c. 22. 1. Tim. 1. voce legis perterrefacti ex Evangelio consolationem audiunt & fide vera se erigunt.

61. Quæstio quarta: *An Contritio sit penitentiae pars?*

62. Resp. *Prior penitentia vere pars nominatur contritio, quæ est verus & ferius dolor cordis, & pavor conscientiae, quo peccator peccata sua agnoscens, legis fulmine contritus expavescit iram, & iudicium Dei adversus peccata, doletque de peccatis admissis, & ea detestatur. Vel: Contritio est terror incussus conscientiae agnito peccato.*

63. 1. De hac passim loquitur Scriptura, ex qua colligitur, quod sit penitentiae pars. Psal. 6. v. 3. Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: Et anima mea turbata est valde. Psal. 38. v. 5. Iniquitates meae supergressæ sunt caput meum, Psal. 51. v. 4. Iniquitatem meam cognosco, & peccatum meum contra me semper. Esa. 38. v. 13. Sicut Leo contrivit omnia ossa mea. cap. 66. v. 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, & contritum spiritu & trementem sermones meos? Similia vide Ezech. 20. v. 43. Dan. 9. v. 5. 7.

64. 2. Idem ostendunt effecta Legis in peccatoribus: Hæc enim est tanquam mallens conterere petram, Jer. 23. v. 29. Accusat igitur, & iram Dei, atque æternam damnationem minatur, Rom. 3. v. 20. 6. 4. v. 15. Inde igitur in peccatoribus oritur dolor, & terror conscientiae.

65. 3. Docent id exempla, ut Ninevitarum, Jona 3. v. 4. 5. 6. Ezechiae, Esa. 38. v. 10. Manassis, 1. Par. 33. v. 12. filii immogeri, Luc. 15. v. 18. Davidis, Publicani, Petri, & aliorum. 4. Idem videre est ex duplici termino, qui est in penitentia: Nam in delectatione inordinata fuit motus ad peccatum. In displicentia igitur, & detestatione est à peccato.

66. Objicit Bellarminus *contritionem*, inquit, *sape esse in iis, quæ nullam inchoant pœnitentiam. Et Scripturam distinguere terrorem à pœnitentia. Concludit igitur, contritionem eo sensu explicatam, non esse partem pœnitentiæ.*

67. Resp. 1. Repetimus, vocabulum pœnitentiæ accipi vel *ἐλικῶς*, vel *μερικῶς*. 2. Distinguiamus inter contritionem filialem & servilem, non hæc, sed illa est pars pœnitentiæ. 3. Contritio fidelium, & infidelium est alia, atque alia; non quidem respectu ipsius contritionis in se considerata; Hæc enim utrobique eadem est specie, & definitione; Sed tantum respectu fidei, quæ in fidelibus parit pœnitentiam ad salutem. Est igitur fides, quasi pars formalis.

68. Quæstio quinta: *An fides sit pœnitentiæ pars?*

69. Resp. *Posterior pœnitentiæ pars est fides in Christum contritione juncta.* Evincimus id 1. *ex scriptura testimoniis generalibus:* Quicquid non est ex fide, peccatum est, *Rom. 14.* Sine fide Deo placere, impossibile est, *Heb. 11.* Pœnitentia igitur fide destituta non placet Deo, ut peccata remittuntur.

70. 2. *A Scriptura dictis specialioribus, Mar. 1. v. 15.* Pœnitimini & credite Evangelio. Vel ex *Matt. 3. v. 1. 2.* Johannes Baptista prædicavit in deserto Judææ, & dixit: Pœnitentiam agite. Id sic exponitur. *Act. 19. v. 4.* Johannes baptizavit baptismo pœnitentiæ, populo loquens, de eo qui venturus, esset post ipsum, ut crederent, h. e. de Christo Jesu. Apostolus Paulus dicit *Act. 26. v. 20.* Annuntiabam ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum. Idem sic expressit, *Act. 20. v. 21.* Testificans Judæis simul, & Græcis, eam, quæ erga Deum est pœnitentiam, ac fidem, quæ est erga Dominum nostrum Jesum Christum. Vel ita: *Per quod tantum pervenimus ad Deum illud se jungi nequit à pœnitentiâ, quæ est μετάνοια εἰς τὸν Θεόν.* At qui per solam fidem pervenimus ad Deum. Ergo.

71. 3. *A discrimine pœnitentiæ filialis, & servilis:* Fides pœnitentiam facit salutarem, & discrimen facit inter contritionem Caini, & Davidis. Judææ & Petri, & aliorum piorum, quæ animata quasi est fide meritum Christi apprehendente, ideò ex ingentibus suis doloribus elucetatur, & salutaris evadit, *Hab. 2. vers. 5. Rom. 5. v. 1.* Ergo fides excludi à pœnitentiâ nec potest, nec debet.

72. Denique seclusa à pœnitentiâ fide, negandus est conversionis terminus ad quem: Nam sola fide in Christum ferimur, & per Christum in Deo propositio hæremus.

73. Quas contra opponit Bellarm. rationes, ad illa recte responderetur distinctione penitentiae in praecedente quaestione tradita; Et consideratione partium, quippe quae respiciunt totum vel constituendum, vel constitutum.

74. Quaestio sexta: *Vtrum contritio ad Evangelium; an verò ad legem pertineat, & ex eà oriatur?*

75. Resp. Disputat Bellarm. lib. 2. de penit. c. 2. Contritionem pertinere ad Evangelium, *Contritio, inquit, non est terror in vis legis conceptus: pertinet maxime ad Evangelium.*

76. Verùm cum distincta officia non sint confundenda, attendendum est probè, quid Evangelii, & quid Legis sit proprium. Legis officium est peccata arguere. Oritur igitur contritio non ex Evangelio, sed ex lege. Confirmamus id 1. *apertis Scripturae testimoniis*, Rom. 3. v. 10. Per legem est agnitio peccati. Rom. 4. v. 15. Lex iram operatur. Rom. 7. v. 7. Peccatum non nossem, nisi per legem.

77. 2. *A descriptionibus Encomiis Evangelii*: Scriptura n. nominat illud Evangelium pacis, Esa. 52. v. 7. Eph. 2. v. 13. Evangelium gaudii magni, Luc. 2. v. 10. Evangelium salutis, Rom. 1. v. 16. Et 1. Cor. 15. v. 2. Evangelium gratiae Dei, Act. 20. v. 24. Evangelium bonorum, Rom. 10. v. 15.

78. 3. *Ab adjuncto officio Evangelii etiam in V. Testamento*: Quod fuit proprium Evangelii officium in V. Testam. & quidè jam inde à lapsu primorum parentum in ipso Paradiso; idem certè officiū, & non aliud hodie illud propriè loquendo obtinebit. Quia non sunt speciei ac definitione diversa Evangelia in V. & N. T. Atqui tū Evangelii propriū fuit officium tantū cōsolari, erigere, cōfirmare adversus terrores peccati, Legis, & inferni, idq; patet ex Evangelio in Paradiso promulgato, ex promissionibus subinde repetitis de semine, de filio Davidis, de Messia &c. Ergo & jam idem, & non diversum obtinet officium.

79. 4. *Ab effectu proprio*: In Evangelio revelatur Justitia Dei, quā nos coram Deo justī reputamur, & ea quidem revelatur sine lege, teste Apostolo, Rom. 1. v. 16. 17. c. 3. v. 21. c. 4. v. 13. Gal. 3. v. 21. Non igitur contritio est effectus Evangelii: Evangelium exequitur suum proprium officium sine lege, & non cum lege, ut hujus proprium officium ipsi adscribendum non sit.

80. 5. *Ab antithesi Apostolicā, quae extat, 2. Cor. 3. v. 7.* Ubi Apostolus legem conferens cū Evangelio definit legem per ministeriū mortis, & damna-

dānationis; Evangelium verò per Ministeriū S. iustitiæ, vitæ, & salutis. Et inde generalē infert aphorismū: Litera sive lex occidit; S. a. vivificat

81. 6. *A promissionis proprio*: Promissionis officium, & *ἐπέχει* propria est, promittere, & offerre, & non accusare, terrere, conterere damnare. Atqui Evangelium est promissio. Ergo.

82. 7. *Ab incommodis*: Si enim Evangelium ἀντιπροσέτις à lege distinctum arguit peccatum, corrumpit p̄tmarium legis, & Evangelii discrimen: Evangelium in legem transformatur, quippe cui tributur id, quod legis est proprium. Consolatio piis mentibus, quam ex Evangelio contra terrores legis haurire debebant, eripitur.

83. *At objicitur effectum Christi, & Apostolorum*: Nam Christus author Evangelii contritionem predicavit, Matth. 4. Luc. 5. Apostoli quoq; à Christo missi ad Evangelizandum, exeuntes predicabant, ut pœnitentiam agerent.

84. Resp. 1. Vocabulum Pœnitentiæ sumitur vel totaliter pro totâ hominis conversione, ut, Luc. 13. v. 3. C. 15. v. 7. Matt. 3. v. 2. Luc. 3. v. 8. 2. Pet. 3. v. 9. Rom. 2. v. 4. vel partialiter & notat alteram tantum conversionis partem, nimirum priorem, quæ ex redargutione peccatorum oritur. 2. Vocabulum Evangelii sumitur etiam dupliciter, nimirum vel generaliter per toto Apostolorum Ministerio, sive doctrinâ universâ à Christo, & Apostolis proposita Mar. 1. v. 1. C. 16. v. 15. Luc. 2. 4. v. 47. Atq; ita negari nequit, quod etiam urserint legem, & ex ea peccata accusarint, vel specialiter, & propriissimè, Mar. 1. v. 15. Et sic intuetur promissionem de gratuita peccatorum remissione propter Christum fide apprehensum. 3. Spiritus S. per legem arguit mundum de peccato, & facit in N. T. opus alienum, ut faciat proprium.

85. Pergunt opponere. *Contritio habet promissionem gratiæ. Ergo pertinet ad Evangelium.*

86. Resp. Contritio filialis habet quidem promissionem, gratiæ verū nō ex se, & respectu sui, sed respectu alterius partis, nempe fidei.

87. Quæstio septima: *An lex incredulitatem arguat?*

88. Resp. Negant id quidem Antinomi; Sed Christus ex professo de peccato hoc agens dicit Joh. 5. v. 45. est, qui vos accusat Moses.

89. Aliud verò est ipsa infidelitas, & aliud ejus objectū, quod ostendit partim lex, nimirum primū præceptum respiciens Deum, tanquam legislatorem; partim Evangelium quod monstrat Christum, cuiusq; meritum: Ipsam vero infidelitatem arguit primum præceptum quod fidem, & obedientiam erga Deum requirit.

Finis Disputationis XXXIII.



## Disputatio XXXIV.

DE CONTRITIONE CORDIS  
 Confessione oris, & satisfactione  
 Operis.

RESP. Johanne Christiano Aldenburgio Coburg.

THESIS I.

**R**es constitui Pœnitentiæ partes à Pontificiis, ostendimus Disput. præcedent. th. 25. ut sunt, *contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis*: Justum enim esse censent, ut, quia omne peccatum committitur corde, ore, vel opere, per contrarium curetur.

2. Examinavimus eas potissimum in genere. Agemus igitur jam nonnihil de iisdem specialius, ostensuri quod multum differat contritio Pontificia, & ea, quam ex scriptura docent Protestantes. Quod contritio per se, & à se à peccatis non liberet: Quod enumeratio singulorum peccatorum perpetratorum in confessione necessaria non sit. Quod remissa culpa non maneat debitum luendæ pœnæ.

3. Quæstio prima: Quomodo differant contritio Pontificiorum, & ea quam ex Scriptura docent Protestantes?

4. Resp. Convenientia est inter contritionem Pontificiorum nominalis, seu in nomine; Differentiæ realis & in re ipsa ita ut Pontificii nihil ferè nobiscum commune habeant dempto nominis characterè. Nam. 1. *Differunt efficiente*. Faciunt Pontificii contritionem opus liberi arbitrii, siquidem statuunt, quod contritio sit dolor voluntariè pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi, *compend. Theol. lib. 6. c. 24.* Quemadmodum enim in humanis pœnna voluntariè assumpta magis placat offensum, ita in divinis voluntariam

tariam pœnam remittere, & delere peccatum opinantur, & ob id contritionem, ut habeat vigorem, & valorem ad deletionem, & remissionem peccati debere esse talem detestationem peccati, quæ ad punitionem commissi peccati voluntariè suscipiatur, & assumatur.

5. *Contra* docent Protestantes contritionem potius esse passionem, quam actionem & per verbum legis prædicatum, auditum, lectum & cogitatum à Spiritu S. accâdi, & augeri, *Esa. 38. 13.* Quasi Leo contrivit omnia ossa mea. *Jer. 31. v. 18. 19.* Castigasti me Domine, & eruditus sum, quasi jüvenculus indomitus. *Converte me, & convertar: quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egipœnitentiam: Et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ. Thren. 5. vers. 21.* *Converte nos Domine ad te, & converteremur: innova dies nostros, sicut à principio. 1. Cor. 11. v. 32.* Dum judicamur à Domino corripimur ut non cum mundo damnemur.

6. 2. *Adjuncto perfectionis, & imperfectionis:* Exigunt enim Pontifici contritionem sufficientem, & perfectam, ita ut non in genere tantum de omnibus peccatis, sed & in specie de singulis peccator doleat, & statuatur quæcunque peccata sic in individuo sub contritionem non venerunt, ea nullam remissionem consequi. Si quis verò talem contritionem habere non possit, eum saltem attritionem habere oportere fingunt, hoc est, dimidiam quasi contritionem, vel initium contritionis. Ajunt, si quis vehementer doleat de peccato suo, sed tantummodo propter pœnam, quam sibi timet irrogandam, iste nō est contritus, sed attritus. Voluntq; hominem, verè contritum, odisse peccatum super omnem rem odiosam, & detestabilem. Attritum faciunt, odisse, sed non tanto excessu, non ultra omnem rem odiosam, & detestabilem. Si quis vero dicat, se non posse habere contritionem (ut fieri potuit in illicito amore aut vindictæ cupiditate, & cæteris) interrogant an is non optet, & cupiat dolere? Respondenti cupere se, accipiunt hoc pro contritione, & remittunt peccata propter hoc bonum ipsius opus, quod nomine contritionis ornant.

7. *Contra* docent Protestantes contritionem licet in seriis pœnitentiæ exercitiis crescat, carere sufficientia, & perfectionis gloria

riâ. *Luc. 17. v. 10. Rom. 3. v. 23.* Ad dolorem igitur contritionis pertinet etiam hoc dolere, quod de peccatis non possumus satis dolere. Quæ verò de contritione multis fabulantur pontificii carent fundamento Scripturæ, sunt miserarum conscientiarum torturæ, simulationis doloris, ad desperationem adactus.

8. 3. *Requisitis.* Nam requisitum quasi constituens, quod in contritione includatur, & eam antecedit, scribunt esse, *propositum bene vivendi.*

9. Contrà ostendunt Protestantes bona opera esse fructus & effectus pœnitentiæ, *Matt. 3. v. 8. Luc. 3. v. 8.* Facite fructus, qui deceant pœnitentiam. *Act. 26. v. 20.* Annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & cõverterentur ad Deum, opera facientes digna his qui resipuissent *Gal. 5. v. 22.* Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax &c. At omnis effectus suâ causâ est posterior.

10. 4. *Fine.* Nam pontificii suam contritionem, ajunt esse meritoriam & tantam esse posse, ut non tantum culpa, sed etiam tota pœna propter eam dimittatur, & gloria conferatur.

11. Contrà docent Protestantes, non nostrum dolorem, sed solius Christi obedientiam satisfecisse pro peccatis, eamque esse meritoriam, expiâsse peccata nostra, & reconciliâsse nos Deo. *Esa. 53. v. 4. 5.* Verè la nguores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: Attritus est propter scelera nostra: Disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

12. Quare licet pontificii nobiscum contritionem asseverare videantur, in re ipsa tamè prorùs à veritate aberrant & à nobis dissentiunt.

13. Quæstio secunda: *An contritio à se, & per se à peccatis liberet, & sit causa remissionis peccatorum.*

14. Resp. Contritio necessaria quidem est, 1. ob mandatum Dei, cujus voluntati obtemperemus oportet. Verè dicit D. Chemnitius part. 2. Exam. Concil. Trident. pagin. 335. *Ordo divinus est, quod vult Evangelizare; sed pauperibus: vult sanare; sed corde contritos: vult predicare dimissionem; sed captivis: vult educere, & liberare; sed victos, hoc est, sub peccatis conclusos: vult consolari, sed contristatos, & lugentes: vult respicere, sed ad contritum Spiritu: Beneplacitum est Domino, sed super*

rimentes eum, & in eis, qui sperant super misericordiâ ejus. vult reficere; sed laborantes, & oneratos vult coronare misericordiâ, & miserationibus; sed caput humiliatum; non turgidum: vult infundere oleum misericordiâ; sed vulneratis, *Esaï. 61. v. 1. Luc. 4. v. 18.* 2. Ut igitur agnitâ peccatorum multitudine coram Deo nos humiliemus. 3. Atque ut magis, magisq; dulcescat nobis Christus in doctrinâ Evangelii propositus. Quemadmodum enim morbum non agnoscentes, nec dolorem ejus sentientes, medicum non quærunt, nec medicinam curant, neq; applicant: Ita qui agnitione, sensu, & pavore peccatorum, & iræ Dei adversus peccata non sunt contriti, & perterrefacti, misericordiam Dei, quæ in Christo proponitur, non satis curant. Lex enim est pædagogus ad Christum, hoc est, urget, & impellit vulneribus ostensis, ad quærendum medicum, & quærendam gratiam Dei in Christo promissam.

15. Sed necessaria non est hoc fine, ut per eam remissionem peccatorum consequamur, & quasi à se, & per se à peccatis liberet.

16. Nam 1. absque operibus Legis consequimur remissionem peccatorum, & justificamur. *Psal. 143. v. 2.* Ex operibus legis non justificatur omnis caro. *Rom. 3. v. 28.* Arbitramur fide justificari hominem absque operibus legis *Rom. 4. v. 5.* Ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justifieat impium, imputatur fides sua ad justitiam. *Rom. 11.* Si ex gratia jam non ex operibus legis. *Gal. 2.* Justificatur homo non ex operibus legis. *Gal. 3.* Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. *Eph. 2.* Non operibus, ne quis gloriatur. *Ti. 3.* Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit. Ergo & absq; contritione, quæ est opus legis.

17. 2. Quod auget peccatum, occidit hominem, & deducit ad inferos; illud remotâ, & salvificâ fide in seclusâ se nova vitæ propositû, neque formaliter, neque virtualiter continere potest, tantum abest, ut esse possit causa Remissionis peccatorum. Atqui contritio orta ex Lege auget peccatum, deducit ad inferos: Quia lex, ex quâ oritur contritio illorum effectorum est causa, *Rom. 5. v. 20. c. 7. v. 9. 2. Cor. 3. v. 7, 9.* Quare nisi Dominus in Evangelio ostenso mediatore Christo per fidem in sanguine ejus vivificaret, & ex inferis hominem contritum rediceret; vel saltem desperaret, vel excusoso jugo redargutionû; & minarum legis in securitatem prolaberetur.

18. 3. Si nostra contritione peccatorum remissionem, & justitiam

nitiam consequi possumus, tum Christus vel frustra, vel non sufficienter & perfecte est attritus. Atqui consequentis affirmatio est impia. Ergo & antecedentis, *Esa. 53. v. 4. 5.* Verè languores nostros tulit, &c. *vers. 6.* Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. *Act. 4. v. 12.* Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *cap. 10. v. 43.* Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

19. Excipiunt Pontificii, asserentes, Christum suâ contritione promeritum esse, ut & nostra contritio expiet peccata. Nihil igitur per meritum nostra contritionis derogari merito Christi.

20. Resp. Examinabimus effugiū illud & similia in Disput. de Justificatione. Interea commendamus illud, quod legitur in Apol. confess. Wirteb. cap. de contrit. p. 514. *Christus mortuus est, non eo consilio, eo usu, & sine, ut bona nostra opera acciperent meritum, & dignitatem expiandi peccata, sed ut mala nostra opera, quæ severitas judicii Dei non tantum in peccatis, sed etiam ipsis bonis operibus nostris invenit, expiarentur coram Deo. Christus, inquam, passus est non pro bonis nostris operibus, ut ipsa expient peccata, sed passus est pro peccatis, pro peccatis, inquam, ut hæc expiarentur, non propter nostras actiones, vel passiones, sed propter solas actiones, & passiones solius Christi.*

21. 4. Positâ causâ ponitur effectus. Atqui positâ contritione non statim ponitur peccatorum remissio, uti videre est in illis, qui desperant, in quibus sæpe graviore sunt dolores, quàm in eis, qui salutarem pœnitentiam agunt. Ergo nostra contritio non est remissionis peccatorum causa.

22. Quia obrem licet doceamus, contritionem requiri in pœnitentiam agentibus ratione ordinis, negamus tamen eam necessariam esse tanquam causam & meritum.

23. Bellarminus libr. 2. de pœnit. c. 12. sententiam Pontificiorum enarrans, catholici, inquit, communi consensu docent, contritionem causam esse remissionis peccatorum. Catech Trident. p. 290. Ex quo, inquit, licet cognoscere veram contritionis eam vim esse, ut illius beneficio omnium delictorum veniam statim impetremus.

24. Confirmat Bellarminus opinionem illam Pontificiorum testimonii Scripturæ. Primum petit ex *Ezech. 18. v. 27. Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam vivificabit.* Quid clarius, inquit? an vivificare animam suam, non est aliquid facere ad propriam justificationem?

25. Resp. 1. Proponitur in testimonio illo descriptio non solius contritionis, sed totius pœnitentiæ, verùm ab altera parte, & pœnitentiæ fructu, ut ex notioribus, & iis, quæ sensibus sunt obvia nobis innotescat, minus notum, & minus sensibus obvium, veluti ex effectu describitur causa, ex fructu arbor. 2. Nam aversio ab impietate destituta fide locum habet nullum, siquidem fieri non potest, ut sine fide quis placeat Deo, *Heb. 11. v. 6. Fide purificantur corda, Act. 15. v. 9. Fide datur Spiritus S. qui est renovationis author, Gal. 3. v. 2.* 3. Homo in peccatis est mortuus, est naturâ filius ira, *Eph. 2. v. 1. 3.* Ergo semetipsum nequit vivificare. Christus verò est via, veritas, & vita, per quem venimus ad Patrem, *Johan. 14. v. 6.* Ipsius igitur vocem, qui audiunt, vivunt, *Johan. 5. v. 25. 4.* Phrasi Hebræa vivificatio non semper significat vitæ procreationem, sed sæpe ejus conservationem, ut *Exod. 1. v. 17. obstetrices vivificarunt pueros Israeliticos. Deuter. 20. v. 17. Non vivificabitis ullam animam populorum istorum.*

26. Secundum ex *Ezech. 18. v. 31. Facite vobis cor novum, & Spiritum novum.* Quod si, ait, dum convertimur, & pœnitentiam agimus, facimus nobis cor novum, & Spiritum novum; quis inficiari potest, conversionem, ac pœnitentiam causam esse justificationis.

27. Resp. 1. A præcepto ad posse non valet consequentia. 2. Ob oculos nobis ponunt mandata illa naturæ nostræ imperfectionem, ut tantò ardentiùs eam deploremus, quantò remotiores nos à perfectione legis factos esse intelligimus. 3. Inde pleniùs addiscimus, quid in quotidianis precibus à Deo potissimum flagitare debemus. Augustinus dicit lib. de Grat. & lib. arb. c. 16. *Ideo jubet Deus aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quæ ab ipso petere debeamus.* 4. Deus enim est, qui aufert cor lapideum, & dat cor carneum, *Ezech. 11. v. 19. cap. 36. vers. 26. Et qui creat cor mundum in nobis, Psal. 51. v. 12.* 5. Spiritus sanctus

Atus igitur operatio cum verbo illo mandati est conjuncta, & non ab eo sejuncta: Dum præcipit, ut faciamus nobis cor novam, per Ministerium verbi donat id quodâ nobis requirit.

28. Tertium ex Jona 3. vers. 10. *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de viâ sua malâ, & misertus est Deus super malitiâ, quam locutus est, ut faceret eis, & non fecit.* Hoc certè loco, inquit, causa redditur, cur misertus sit Dominus Ninivitarum, quia conversi sunt de viâ suâ malâ, & pœnitentiæ opera fecerunt.

29. Resp. 1. Virtutes Ethnicorum, & bona opera non reatorum præmium habent à Deo in temporalibus, sed absque fide remissionem peccatorum nulli homines consequuntur. Dubium igitur est nullum, quin mitigatio pœnarum temporalium per contritionem præcisè, & distinctè sumptam, impetrari possit, idque patet ex exemplo Achabi. 1. Reg. 21. vers. 27. 2. Aliud est quætere de ordine, quem servat Deus homines sanando, & in gratiam recipiendo; & aliud de causâ, & merito propter quod peccata remittit: Jona 3. vers. 10. describitur ordo, & qualitas eorum, quorum Deus est misertus. 3. Insequitur salutarem contritionem cum Deo reconciliatio, & sæpe pœnarum aversio, vel mitigatio, non ratione contritionis, sed ratione alterius partis, nimirum fidei, contritionem quasi animantis: Nam justificati ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom. 5. v. 1.

30. Quartum, ex Psalm. 51. vers. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus:* At sacrificium Deum placare, & gratiam impetrare solet, dicit Bellarminus, & ideò subjungitur: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet.*

31. Resp. 1. Ephes. 50. vers. 18. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & victimam Deo, in odorem bona fragrantia.* Ergo aut necessarium non fuit, ut Christus sese pro nobis in arâ crucis offerret, aut nostra contritio iratum Deum non placat. 2. Aliud est placere Deo, & aliud placare Deum: Contritio piorum, quæ est sacrificium *εὐπαιθετον* placet Deo; At unicum sacrificium est illud *ἱλαστικόν*, quod placat Deum, cujus typus fuerunt sacrificia V. Testamenti. 3. Contritio, de quâ agit Propheta  
regius

regius est salutaris non respectu sui, sed respectu fidei. 4. Conjungit enim duo, ut sunt, Spiritus contribulatus, seu confractus, & cor contritum. Spiritus confusus ad seriam peccatorum agnitionem refertur; cor contritum ad fidem pertinet.

32. Quintum ex Dan. 4. v. 24. Peccata tua eleemosynis redime. Et Tob. 12. v. 9. Eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, qua purgat peccata. Ex his infert Bellarminus loca ea de Eleemosynis pœnitentium esse intelligenda, qui saltem ex congruo per contritionem, & opera pœnitentiæ Dominum placant.

33. Resp. 1. Articulorum fidei interpretatio ex propriâ earum sede ubi ex pro fesso de iis agitur est inferenda non ex detortâ aliquâ sententiâ excerpta & efferenda. 2. Distincta non sunt confundenda. Certum est pœnitentiam agentibus remissionem peccatorum, & salutem æternam promitti; At falsum est propter nostra merita, & Eleemosynas, donari. Donatur n. gratis propter meritum Christi cuius sanguis nos liberat ab omni peccato. 1. Johan. 1. 3. Ipse Daniel dicit cap. 9. v. 7. 8. 9. Tibi Domine iustitia; Nobis autem confusio faciei Domine nobis confusio faciei, Regibus nostris, Principibus nostris, & Patribus nostris, quia peccaverunt. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, quia recessimus à te. v. 18. Nō in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam sed in miserationibus tuis multis.

34. 4. Nonnulli remittunt ad vocabulum פֶּרַק hoc loci usurpatum: Hoc enim non semper significat redimere liberare, & servare, sed etiam sæpe abrumpere, leperare, auferre conterere, ut Exod. 32. v. 2. פֶּרַקוּ נַזְמֵי separate in aures. Sensus igitur est, cessa à tuis erroribus: abrumpere, vel abjice peccata, nimirum iustitia. Hactenus enim carnisti omni sensu, cum ita tibi dedisti effrenem licentiam. Voluit igitur Daniel Regem quidem hortari ad pœnitentiam, sed simul meminit cum quo homine, & quali sibi sit negotium, nimirum cum tali, qui non primâ pietatis tenebat rudimenta, & qui in misericordia in pauperes peccaverat. Consilium igitur datur abrumpat peccata.

35. 5. Alii distinguunt inter iudicium Dei & hominum. Peccata eleemosynis redimuntur in iudicio hominum, quibus se quis studet reconciliare, postquam eū læsit; Sed non expiant peccata in iudicio Dei. Daniel respicit, quàm se iniquè, & inhumaniter gesserat Nabucho

buchdonosor, quàm tyrannicè subditos vexaverat, & quam superbè pauperes, & miseròs contempserat. Ut igitur hæc peccata redimat, & meliorem vitam agat, monet.

36. 6. Nonnulli distinguunt inter pœnas æternas, & temporales. Neq; Rex interrogat de modo consequendi vitam æternam, neque Daniel de eo respondet; Sed de remotione pœnæ temporalis: Rex enim tyrannidem exercuerat in pauperes propterea gravis ipsi prædicebatur pœna, quam per beneficentiam averti posse interroganti Regi respondet Daniel, idque etiam exemplum Achabi 1. Reg. 21. vers. 27. Eaque responsio approbatur in jure Canon. *Causa* 33. *Quæst.* 3. c. 56. *Eleemosyna à morte, & non utique ab illa morte, quam semel Christi sanguis extinxit, & à qua nos salutaris Baptismi, & redemptoris nostri gratia liberavit: Sed ab ea, quæ per delicta postmodum serpit.*

37. 7. Interea non abjicimus distinctionem inter causam & effectum, inter meritum, & fructum: Quamvis eleemosyna non sit meritum remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, in renatis tamen est fructus, pœnitentiæ, & idè liberare dicitur à peccato, quia testificatur de fide. Huc igitur pertinet regula: *Multa tunc fieri dicuntur, quando facta esse manifestantur.*

38. 8. Liber Tobia non est in canone, ut in secunda Disputatione ostendimus. Legitur igitur quidem ad morum conformationem, sed non ad fidei confirmationem. 9. Commoda interpretatione verba illa, ut consentiant cum scriptura canonica possunt explicari, ut nomine mortis intelligantur pœnæ temporales, quas Deus iis sæpe remittit, & mitigat, qui ex verâ charitate erga pauperes sunt benefici, & in altera etiam vita aliquem ex eleemosynis fructum percipient *Psal.* 40. v. 1. *Beatus vir, qui intelligit super egenum & pauperè, in die mala liberabit eum Dominus* *Luc.* 16. v. 9. *Facite vobis amicos de māmōna iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.*

39. Sextum ex *Luc.* 7. vers. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Hoc loco, inquit, contritio ex dilectione, quam lachrymæ testabantur, apertissimè dicitur esse causa remissionis peccatorum: Siquidem particula illa **QUONIAM**, causalis est.

40. Resp. 1. Distinguimus inter causam consequentis, & consequentiam,

M m m m

sequentiam,

sequentia, inter causam rei, & argumenti inter notam constitutionis, seu procreationis, & declarationis, inter τὸ ὄν αἰτιολογικόν, & τὸ ὄν συλλογικόν, inter causativum & ratiocinativum, inter αἰτιολογικόν, & ἐκθετικόν. Damascen. dicit lib. 4. cap. 20. Hoc animadvertendum est, quod mos sacrae Scripturae est, quadam quae secundum eventum debent intelligi, causaliter dicere. Coniunctiones, quia, nam, enim, quoniam, &c. appellantur vulgò causales, sed per Synecdochen, eò quod saepe rei causam quidem notent, sed non semper, quia saepe adhibentur, ut signa argumenti declarantis sive illud sit petitum ab effectu, sive ex alio loco, ut: *Deus est omnipotens, quia creavit caelum, & terram*: Hic conjunctio quia, est nota argumenti declarativi ab effectu sumpti, & 1. *Johan. 3. v. 14.* Nos scimus, quoniam de morte translati sumus ad vitam, quoniam diligimus fratres. Sic & *Luc. 7. vers. 47.* dilectio non est causa, vel meritum remissionis peccatorum, sed ejus argumentum, nota, & signum.

41. 2. Confirmamus interpretationem hanc primò à similitudine, qua utitur Christus: Sicut enim creditor debitoribus, qui non sunt solvendo remittit ex mera liberalitate: Ita etiam Deus remittit nobis debitoribus absque nostro merito peccata nostra ex gratiâ, *Rom. 3. vers. 24.* Secundo à causa dilectionis, quâ ad diligendum Deum movemur: Deus enim dilectione suâ nos præveniens propter Christum, & in Christo peccata nobis remittit; ideò ad Deum diligendum incitatur. *Joh. 1. v. 10. 11.* Tertio ex verbis Christi. Nam *vers. 50.* Fidei attribuit, quod mulier hæc sit servata, & pacem conscientiae affecuta. Quarto ab ipsa abolutione *Remittuntur tibi peccata vers. 47.* Perinde atque paralytico nullis bonis operibus ornata dicebat: *Confide fili remittuntur tibi peccata tua.* Quintò ex scopo parabola: *vers. 42.* Qui est ut ostendatur, istum debitorem, cui plus remittitur, plus diligere. Quæ autem accommodatio potest esse parabola, si dilectio hominis statuitur causa remissionis peccatorum? Imò *vers. 47.* dicit Christus, cui paululum remittitur, is minus etiam diligit. Peccatorum igitur remissio dilectionem præcedit. Sextò ex verbis Christi *vers. 50.* *Vade in pace.* Unde Apostolus dicit. *Rom. 5. vers. 1.* *justificati fide pacem habemus.* Nam qui nituntur propriis operibus pacem habere nequeunt in conscientia, cum semper ipsis sit dubitandum, eo quod nesciant, an sat bonorum operum fecerint, nec ne.

42. 3. Verbum igitur *ἡρώπρωσε* dilexit consuetudine hebræa præfenti est positum, hoc sensu: remissa sunt ei peccata multa, quia diligit multum.

43. 4. Ambrosius lib. 6. in Lucam pag. 79. dicit: Plus diligit, cui donatur amplius. Lyra super hunc locum dicit: *Particula quoniam non causaliter, sed consecutivè est intelligenda.* 5. Imo Pontificii nonnulli, teste Stapletono evidentiâ textus convicti nostram tenent explicationem.

44. Provocat deinde Bellarminus ad Patrum nonnullorum auctoritatem; Sed 1. distinguere debebat inter locutiones populares & accuratas. Sixtus Senensis lib. 6. Biblioth. annot. 1, 2. dicit: Concionatorum verba non semper eo rigore sunt accipienda, quo primum ad aures auditorum perveniunt. 2. Attendere debebat, quod loquantur sæpius de pœnitentiâ salutari, cui fides in Christum Mediatorem est conjuncta.

45. Denique subjungit rationes. Nam 1. Orationem peccatoris, ait, placare Deum ac veniam impetrare. Ergo multò minus conversionem, & pœnitentiam esse inanem. 2. Actum pœnitentiæ esse à Spiritu S. Ergo suo modo esse eam causam justificationis.

46. Resp. 1. Calumniatur Bellarminus: Nemo enim nostrum dicit vel salutarem conversionem vel orationem esse inanem. 2. Cui libet pœnitentiæ parti sua est relinquenda proprietas. Per contritionem cor hominis à Spiritu S. ut sit capax gratiæ divini, præparatur. Fides animans quasi contritionem est instrumentum illud quo apprehendimus gratiam Evangelicam. 3. Oratio veniam peccatorum impetrat non ex opere operato, non ex suâ dignitate, nec per modum meriti; Sed quia procedit ex fide gratiæ divini in merito Christi fundatæ innitente. 4. Opera renatorum sunt opera non primum regenerandorum, sed regenerantium.

47. Quæstio tertia: *An confessio, & enumeratio singulorum peccatorum cum omnibus circumstantiis sit eis, qui post Baptismum in peccata prolabantur, simpliciter necessaria, & meritoria?*

48. Resp. Confessio auricularis pontificia requirit. 1. omnium & singulorū peccatorū, quæ post districtum examen in memoriâ venire possant in aures Sacerdotis de narratione. 2. Omnium circumstantiarum enumerationem. 3. Confessio igitur talis secundum ipsos

& meritoria. 4. Quod peccatum reticetur, non remittitur. 5. Nam Sacerdotes sunt Spirituales Judices. Decretum Concilii Tridentini Canon. 8. hoc est: *Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, & traditionem humanam à piis abolendam aut ad eam non teneri omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, & ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore quadragesima, anathema sit.* Propugnat id Bellarminus lib. 3. de pœnit. cap. 2. *Meiho. confess. pag. 216. Quis, quid, ubi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando; Peccasti dices, ut sit confessio vera.*

49. Nos verò confessionem illam auricularem Pontificiam non tantum non necessariam, nec meritoriam, sed eam etiam impossibilem, & miseram animarum carnificinam esse dicimus.

50. Nam 1. Quod non habet in Scriptura mandatum, nec exemplum, neque promissionem, illud sub periculo salutis, nec potest, nec debet conscientis imponi, nec eo conscientia debent torqueri. Atqui confessio illa auricularis pontificia, qua omnia peccata coram sacerdote cum omnibus suis circumstantiis numerantur hoc fine ut confessio reddatur meritoria, & peccata aliàs remitti nequeant, non habet in scripturâ mandatum, nec exemplum, neque promissionem. Ergo. Propositionis veritas patet ex scripturæ perfectione, & ex traditionum, atque *ἱερολογησιῶν* qualitate. Assumptionem itidem agnoscat oportet diligens scripturæ Scrutator: Nusquam n. in V. Testamento, & nusquam in Novo confessio illa est mandata. Et Christus passim absq; illa peccatorum enumeratione præmissa peccata remisit, ut paralytico, *Matt. 9. v. 2.* Mulieri peccatrici, *Luc. 7. vers. 47.* Zachæo, *Luc. 19. vers. 8.* Non aliter autem misit Christus Apostolos, quam ipse missus fuit, *Johann. 20. vers. 21.* Unde nullum legitur exemplum in Actis, quod Apostoli specialem Apostoli omnium peccatorum enumerationem exegerint. Apostolus Petrus dicit, *Act. 2. v. 38.* Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Specialem verò peccatorum enumerationem non requirit. Nam de Baptismo in remissionem peccatorum administrando expressum acceperant mandatum, *Matth. 28. v. 28. Marc. 16. v. 15.* Sed non de exigenda singulorum peccatorum enumeratione.



dentibus remitti peccata, *Roman. 4. vers. 16. Ideo fide gratis, ut sit firma promissio.* At Pontificii statuunt remissionem pendere ex speciali peccatorum, tanquam ex merito enumeratione. Reperimus ex præcedente thesi dictum illud Scholasticorum, quod habet Bellarminus libro 1. de Pœnitent. cap. 4. *Confessio à morte liberat, Paradisum aperit, & spem tribuit salutis.* Et libro 3. de Pœnitent. cap. 12. *Rubor, quem inter confitendum patimur, pars quadam est satisfactionis pro admisis: per exigua confusione, quam coram uno ex conservis nostris patimur, redimimus ingentem illam confusionem, quam alioquin in die iudicii pateremur.*

66. 6. Plurimis confessio illa laborat incommodis. Scandalosæ sunt interrogationes, quibus honestæ pariter offenduntur fœminæ mariti, & virgines, ut videre est vel ex interrogationibus, de delictis in sextum præceptum commissis. Et non possunt abiq; scandalo audiri secreta plurima peccata, quæ secreta conscientia audientium non obsunt.

67. 7. In Ecclesia igitur confessio temporibus Apostolorum proxima non fuit recepta, nec tanquam necessaria à confitentibus est exacta. Ambrosius libro 10. in Luc. cap. 22. dicit: *Ideo flevit Petrus, quia culpa obrepit ei, non invenio, quid dixerit invenio quod fleverit, lachrimas ejus lego, satisfactionem non lego, sed quod defendi non potest, ablui potest, lavant lachrimæ delictum, quod voce pudore est confiteri, veniæ fletus consulit, & verecundiæ.*

68. Ne verò status controversiæ immutetur, notandum est, confessionem aliam esse laudis, & aliam fraudis. *Confessio laudis est*, qua Deum ob immensam suam misericordiam celebramus, ipsiq; gratias agimus, vel publice, vel privatim. *Confessio fraudis est*, qua delicta nostra confitemur, & deploramus, eorumque remissionem petimus. Hujus variæ sunt species. *Prima est*, quæ soli sit Deo, estque simpliciter necessaria. *Secunda est*, quæ sit proximo offenso diciturque fraterna. *Tertia*, quæ sit coram tota Ecclesia, qua peccator delictum suum quo Ecclesiam offendit, publicè confitetur. *Quarta* quæ sit coram Ecclesiæ Ministro, qua peccator, nõ quidem in specie omnia, & singula secundum omnes circumstantias delicta enumerat, Sed vel in genere fateatur, se agnoscere peccata sua, & iram Dei adversus peccata, vel certa aliqua

aliqua delicta conscientiam gravantia exponit, & ut Minister eorum remissionem annunciet, petit hæc propter plurimas utilitates à nobis commendatur. Quintam addunt Ipeclēm Pontificii, quam argumentis enarratis improbamus, & refutamus.

69. Quæstio quarta: *An dimissa culpâ maneat debitum luendæ pœnæ.*

70. Resp. Scholastici, & Pontificii de satisfactione disputantes variis modis inter se dissentiunt. Quidam opinantur Christum satisfecisse tantum pro peccato originali; Non autem pro actualibus. Alii, ajunt, nos non pro culpa, sed tantum pro pœnâ posse satisfacere.

71. Contrâ, sequentibus evincimus fundamentis, Christum pro pœnis temporalibus, & æternis propter peccata nobis debitis, plenam satisfactionem nostri loco satisfecisse. 1. Sustulit in se Christus peccata nostra, *Esa. 53. vers. 6. Job. 1. vers. 29. 1. Pet. 2. vers. 24.* Ergo etiam pœnam peccatis nostris debitam in se transtulit. A debito igitur pœnæ luendæ nos liberavit. Sublata enim culpa tollitur debitum pœnæ. 2. Castigatio igitur pacis nostræ super ipsum *Esa. 53. v. 5.* Factus est pro nobis maledictio, ut à maledicto legis nos liberaret, *Galat. 3. vers. 13.* Ergo Christus nos liberavit etiam à pœnis, quas lex prævaricatoribus decenit. Et quotiescunque legitur, passus, crucifixus, mortuus, toties pœnam, quæ nobis debebat infligi in ipsius humeros rejectam cominus intuemur.

72. 3. Quare Christus nos liberavit à Dominio Satanæ, *Heb. 2. v. 14.* Ergo & à pœnâ peccati, quæ est dominium Satanæ. Liberavit nos à morte, & inferno *Osea. 13. v. 14.* Ergo & à pœnâ peccati, quæ est mors. Liberavit nos ab irâ venturâ, *1. Thess. 1. v. 10.* Ergo & à pœnâ peccati, quæ est ira Dei. Liberavit nos ab inferno, & æternâ damnatione, *Rom. 8. v. 1.* Ergo & ab ipsâ peccati pœnâ.

73. 4. Annón pugnat cum justitia Dei idem bis puniri? Filium suum propter peccata nostra percussit, *Esa. 53. v. 4.* Num Christus est dimidius Salvator? Num pars redemptionis à Christo ad homines est transferenda? Annón Christi satisfactio est perfecta? Annón omnia per ipsum sunt consummata.

74. 5. Peccatorū igitur nostrorū Deus non recordatur ampli⁹, *Jer.*

31. v. 31.

31. v. 31. Delet ea instar nubis, *Esa.* 44. vers. 22. Non imputat, sed tegit, *Psal.* 33. v. 1. Projicit post tergum, *Esa.* 38. v. 17. Demergit in profundum maris, *Mich.* 7. v. 19. 6. Christus torcular calcavit solus, *Esa.* 63. v. 3. August. serm. 141. de temp. Christus, inquit, communicando nobiscum sine culpâ pœnam, & culpam solvit, & pœnam. Sed hac de re in loco de justificatione plura.

75. Subjungimus tritam distinctionem, qua distinguitur inter *πρωείαν*, *δοκιμασίαν*, *μαρτύριον*, & *λύτρον*. *Τιμοεια* est paterna castigatio, quam Deus piis infligit propter ipsorum peccata, *Psal.* 39. Non verò ad peccata expianda, sed ad veterem Adamum cohibendum. *δοκιμασία* est examen, & probatio fidei, spei, invocationis, timoris Dei, & patientiæ sanctorum, ut in his virtutibus proficiant, *Genes.*

40. *μαρτύρια*, sunt testificationes sanctorum de doctrinâ. *λύτρον* est folius Christi obedientiæ.

Finis Disputationis XXXIV.





## Disputatio XXXV.

## DE INDULGENTIIS

## Et Jubileo.

RESP. Johanne Polemanno, Mindâ-Westphalo.

## T H E S I S I.

**I**mpium Pontificiorum dogma de Indulgentiis oritur ex impiis eorum opinionibus, quas alunt de pœnitentia, & cum primis de satisfactione propriâ. Bellarminus in præfat. dicit: *Huic controversia (de Indulgentiis) locum post libros de pœnitentia designavi.*

## SENTENTIA PONTIFICIORUM.

2. Nam statuunt Pontificii hodierni Bellarminum sequentes pro peccatorum culpâ satisfecisse Christum, & ad hanc tollendam opus esse justificatione, quam definiunt infusione novæ gratiæ, & eam inquirunt, fieri, non nisi per Sacramenta, *Bellarminus lib. 1. c. 7.*
3. Deinde distinguunt Pontificii inter Pœnas æternas & temporales: Illarum reatum nõ per indulgentias, sed sanguine Christi expiari agnoscunt, *Bellarminus lib. 1. c. 7.*
4. Pœnæ temporales sunt vel morbi & mors, ab hisce liberari nequeunt homines beneficio indulgentiarum, *Bellar. lib. 1. c. 7.* vel flagella divinitus immissa, quæ licet per voluntarias afflictiones interdum, avertantur, clavibus tamen Ecclesiæ non subsunt. Non possunt igitur per indulgentias repelli. *Bellarminus lib. 2. c. 13.* vel sunt pœnæ, quæ in foro externo & contentioso, sive Ecclesiastico sive seculari infliguntur, quas indulgentiæ tollere nequeunt, *Bellarminus lib. 1. cap. 7.* Siquidem illæ infliguntur, ut facinorosi deterreantur à peccatis, & probi homines securitate fruantur, *Bellarminus ibidem.*
5. Tollunt verò indulgentiæ pœnam eam quam debent hos

Nnnn

mine-

mines in foro secreto, & pœnitentiâ, quam duplicem faciunt, aliam hujus seculi, & aliam futuri. Hujus seculi pœna est, quam homo pœnitens, ad sua peccata puniendâ, vel sponte suscipit; vel quam pœniten-  
tenti pœlatus imponit. Futuri seculi pœnas, esse ajunt cruciatus, quos animæ fidelium à temporariæ pœnæ reatu nondum satis purgata sustinent in igne purgatorio. Ab harum pœnarum reatu indulgentiæ liberant non tantum coram Ecclesia, sed etiam coram Deo, Bellarminus lib. 2. cap. 13.

6. Clemens VI. in Bullâ Jubilei: Papa tantam in purgatorio, & in inferis habet potestatem, ut quantum quantum velit animarum numerum, quæ in istis locis cruciantur per suas indulgentias liberare, & confestim in Cœlis, ac beatorum sede collocare possit.

7. Indulgentia igitur est remissio pœnæ temporalis quæ pro peccatis debetur, concessa vel à Papa, vel ab alio potestatem habente. Vel: Indulgentia est remissio pœnæ temporalis pro actualibus debita extra Sacramentum facta, ex thesauro Ecclesiastici dispensatione Toletus lib. 6. c. 21. de casib. conscient. Vel: Indulgentia Ecclesiastica est relaxatio pœnæ temporalis, judicio divino peccatis actualibus, post remissam culpam debita per applicationem super abundantium Christi, & sanctorum, facta extra Sacramentum ab eo, qui legitimam ad hoc auctoritatem habet, Gregorius de Valentia Tom. 4. p. 1846. Seu: Indulgentia propriè est absolutio judiciaria, maximam habens solutionem ex thesauro Bellarminus lib. 1. de Indulg. c. 5.

8. Fundamentum Indulgentiarum est thesaurus satisfactionum Christi, & sanctorum, qui applicari potest iis, qui rei sunt pœnæ lucidæ post culpam in Sacramento pœnitentiæ remissam, Bellar. lib. 1. c. 2. hoc est, extat in Ecclesia thesaurus infinitus constans 1. Satisfactionibus Christi. 2. Bonis operibus sanctorum ex charitate profectis. 3. Eorundem passionibus, quibus vis pro reatu pœnarum temporalium æternæ Dei justitiæ ex condigno etiam satisfaciendi est attribuenda.

9. Auctoritas thesaurum dispensandi, & per indulgentias concedendi divinitus concessa est Ecclesiæ Pastoribus, Bellarminus lib. 1. cap. 3. Indulgentias concedere possunt Pontifices, Concilium generale, Episcopus, & Legatus Pontificis, sed cum triplici discrimine. Primum est: Pontifex, & generale Concilium, possunt indulgentias concedere etiam plenarias; At verò Episcopi, Legati, Archiepiscopi tantum quadraginta dierum, & dedicatione Ecclesiæ, unius anni. Secundum est:

dum est: Pontifex, & concilium possunt perpetuas concedere Indulgentias; At verò reliqui temporales solum præter Legatum, qui potest Indulgentias perpetuas facere. *Tertium est*: Pontifex in toto mundo concedere potest indulgentias; At verò Episcopi in sua Diœcesi, & Archiepiscopi in suâ provinciâ: Legatus autem tantum in suâ legatione. Cardinales etiam habent facultatem à Papa concedendi indulgentiam certam. *Toletus lib. 6. cap. 25. Valentia Tom. 4. p. 1876.*

10. Juvantur indulgentiis non tantum vivi, sed etiam mortui: Hi verò non verò non per modum absolutionis, sed suffragia. Nam Pontifex tanquam summus dispensator thesauri Ecclesiæ communicat illis bona opera pœnalia, quæ in thesauro sunt, *Toletus lib. 6. c. 26. Bellarminus lib. 1. cap. 14.*

11. Ordo igitur, quem in his tradendis observant hic est: *Christus & Sancti satisfactionibus, & bonis operibus pepererunt thesaurum: Pontifex Romanus colligit in ararium: Inde depromit, & potestate clavium sibi concessarum applicat vivis, & defunctis, quorum vicem viventes sustinent, qui operum injunctorum impletione suffragantur defunctis, ut indulgentia non tantum refrigerium, sed etiam liberationem ex Purgatorii cruciatibus præstent.*

12. Deniq; *Jubilæum*, ajunt, esse institutum ob plenarias indulgentias casuum quoque reservatorum.

## SENTENTIA PROTESTANTIUM.

13. Scripturæ à Spiritu S. traditæ docent, omnibus verè pœnitentibus remitti peccata per & propter Christi meritum fide apprehensum, *Act. 10. v. 43.* Nullam verò faciunt mentionem *Indulgentiæ papalis*, quæ per Bullam, aut Diploma dari solet. *B. Lutherus scribit Tom. 1. Jen. Germ. pag. 46. Der Ablass ist anders nicht / noch mag werden / deñ nachlassung guter Werck / vñno heilsamer Pein / die man billicher sole erwehlen / denn vertassen.*

14. Satisfactionem Christi grato corde agnoscimus, & prædicamus inæstimabilem Ecclesiæ thesaurum, Ecclesiæ concreditum, quæ ex eo verè pœnitentibus, & in Christum credentibus dispensat veras, & coram Deo ratas indulgentias, nimirum omnium peccatorum remissionem.

15. Injuriam facit Pontifex Romanus satisfactione Christi addens illi actiones sanctorum bonas, & bona ipsorum opera. Er pas-

siones sanctorum, qui plus finguntur passi, quam peccata eorum requirerent, id est, quam exigeret reatus pœnæ temporalis.

16. Authoritatem peccata remittendi, quæ solius Dei est, blasphemè sibi vendicat Papa, & pecuniâ quadam thesaurum ecclesiam vendens simoniam exercet.

17. Defunctis nullæ profunt papales indulgentiæ: Justorum enim animæ rectâ transeunt à morte in vitam, & sunt in sinu Abrahamæ; Incredulorum detruduntur in infernum. Locum alium tertium ignorat Scriptura.

18. Jubilæus pontificius tantùm quæstus gratia est institutus. Est igitur omninò improbandus.

#### STATUS CONTROVERSIAE.

19. Legitimus igitur controversiæ status est de autoritate Indulgentiarum: de ipsorum fundamento: de earum dispensatoribus: De subiecto personarum, quibus applicari finguntur: Et denique de Jubilæo pontificio.

20. Quæstio prima: *An dogma pontificiorum de indulgentiis sit impium & fabulosum.*

21. Resp. Quanti faciant pontificii indulgentias suas ex parte ostendimus ipsorum verbis in præcedentibus. In compendio Theol. verit. lib. 7. c. 5. dicitur: *Papales indulgentiæ profunt defunctis in purgatorio, ut patet, quia crux datur aliquando pro duabus, vel quatuor, vel decem animabus. In Ecclesia enim est thesaurus meritorum tam Christi, quam perfectorum, de quo solus Papa, qui claves habet hujus thesauri, pro necessitatibus Ecclesie potest accipere, & dispensare. Alii autem sicut Episcopi, non habent in his potestatem generalem, sed limitatam, & non, nisi per summi Pontificis dispensationem. Dicendum ergò, quod Papa propriè non absolvit defunctos à pœnâ, sed quasi pro eis solvit de communi thesauro Ecclesie. Dispensat igitur Papa Romanus etiâ in iis gradibus, qui expressè sunt in Scripturâ prohibiti & indulgentias concedit. Dispensat cum homicidâ voluntario in ordinibus constituto, parricidâ, matricidâ, &c. Sed hac cum conditione, ut certa pecuniæ summa promittatur, & enumeretur. Hæc enim sola est sustentaculum Papatus. Eberhardus Salisburgensis Episcopus coram Imperii conventibus de avaritia Pontificum dixit. *Fames opum, stis honorum in explebilis est. Quo plura avido concesseris eò plura appetit.**

Celtes.

Celtes conqueritur idem his versiculis:

*Quicquid in extremis habuit Germania terris,  
Et mediis quicquid continet illa plagis  
Exhaustum est, & totam latias migravit ad arcus,  
Expleat ut luxus, impia Roma tuos.*

22. Impium & fabulosum illud pontificiorum dogma sequentibus refutamus fundamentis i. Nititur dogma illud plurimis falsis hypothesis. Ergo tanquam falsum & erroneum improbat. Hujusmodi sunt de Mariæ virginis operibus satisfactoriis, quæ præstiterit pro aliis, & non pro se, cum peccato actuali non fuerit commaculata, & à peccato originali fuerit immunis. De Sanctorum meritis: De operibus supererogationis: De satisfactionibus pro pœna temporali. De Purgatorii flammis. Sed hæc suis vide locis.

23. 2. Omne dogma fidei in Novo Testamento traditum est à Christo & Apostolis, *Johan. 15. vers. 15.* Omnia, quæ audivi à Patre meo nota feci vobis. *Actorum 20. vers. 27.* Non subterfugi, quò minus annunciarim omne consilium Dei. Atqui nusquam tradiderunt dogma de Indulgentiis Pontificiis. Unde & illud ignoravit Ecclesia primitiva. Ergo. Antoninus Archiepiscopus Floren. tit. 10. cap. 3. De Indulgentiis, inquit, *NIL expresse habemus ex sacra Scriptura, neque etiam ex dictis antiquorum Doctorum, sed modernorum.* Johannes Roffensis Episcopus in Confut. Assert. Mar. Lutheri Art. 18. p. 174. *Multos, inquit, fortasse movet indulgentiis istis non usque adeo fidere, quod earum usus in Ecclesia videatur fuisse recentior, & admodum serò repertus apud Christianos, quibus ego respondeo, non certo constare, à quo primum tradi ceperunt.* Ibidem p. 175. *Quis de indulgentiis mirari potest, quod in principio nascentis Ecclesie nullus fuerat earum usus?* Gregorius de Valent. lib. de Indulgent. cap. 2. *Objici possit, inquit, Gratianum, & Lombardum, qui ante annos 400. vixerunt, de Indulgentiis nihil meminisse: Respondeo tunc cum vixerunt, usus erat severioris pœnitentiæ, quâ post deservescente Indulgentiarum usus increbuit.*

24. 3. Indulgentiæ simul ac sunt natæ sunt oppugnata. Veselius testatur, Patres, qui ante Albertum & Thomam vixerunt, Indulgentiis Papalibus restitisse, & affirmasse eas esse merum dolum

Nnnn 3. fraudem.

fraudem, & errorem, & idem Thomam & Albertum testatus esse, videatur Pars 2. Catal. test. Verit. p. 797. Abb. Urspergensis ante annos trecentos sic cecinit: *Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataracta thesaurorum in terrâ, ut ad te confluant rivi, & aggeres nummorum in magna copiâ. Letare super iniquitate filiorum hominum, quoniam in re-compensationem tantorum malorum datur tibi pretium. Jocundare super adjuvice tuâ discordia, quæ erupit de puteo infernalis abyssi, ut accumulenter tibi multa pecuniarum premia. Habes quod semper sit isti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem, orbem fecisti. Ad te trahit homines non ipsorum devotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio, & licium decisio precio comparata.*

25. 4. *Repugnant indulgentiæ pontificiæ Misericordiæ.* Hæc enim simul, & semel citra ullam satisfactionem universum debitum remittit, & pœnas omnes, quas justitia Dei loco satisfactionis exigebat, propter Christum, in quo nos Pater diligit, condonat, idque patet ex parabolâ Salvatoris de servo, qui Regi, tenebatur obstrictus decies mille talentorum: Hujus Dominus misertus, debitum omne ei absque propriâ satisfactione remisit, eumque absolvit, *Matth. 18.*

26. 5. *Idem docent apertissima Scripturæ testimonia: Rom. 5.* Ubi exuberavit peccatum ibi magis exuberavit gratia. *Mich. 7.* Gratia, & Misericordia Dei sic remitti peccata, ut ea projiciantur in profundum maris. *Jerem. 31. Ezech. 18.* Et illorum Deus non recordatur amplius. Quare eum gratia Dei nos justificantis supra peccatum exuberet: Et peccata nostra in profundum maris sint projecta: atque oblivioni sempiternæ tradita; sequitur non esse petendas indulgentias Pontificias, ut iis expientur, & tollantur.

27. 5. *Repugnat Justitiæ:* Hujus enim ratio non fert, ut pro uno peccato gemina exigatur satisfactio. At nos satisfacere æternæ justitiæ, quæ non nisi æquivalens deo acceptat, non poteramus: Satisfecit ei nostri loco Christus, *Psal. 68. y. 6.* Quæ non rapui, tunc exolvebam.

28. 6. *Adversatur officio Christi, plenariæ redemptioni, peccatorum remissioni, adeoque ipsi Justificationi:* Christus enim pro universo debito

satis-

satisfecit Justitiæ Dei: Solus torcular calcavit, ut in præcedent. Disputation. ostendimus. Et omnibus verè pœnitentibus remittuntur peccata per, & propter Christi meritum fide apprehensum, *Act. 10. v. 45.* Non autem per, & propter petitas indulgentias Pontificias. Unus enim est Deus, & unus est Mediator Dei, & hominum, homo Jesus Christus, *1. Tim. 2.* Præter eum igitur non est Salvator.

29. 7. *Adversatur promissioni Christi:* Nam thesaurum satisfactionis nulli certo loco alligavit. Imò discipulos suos in totum orbem emisit, ut Evangelium omni creaturæ, quæ sub cœlo est, annuntiarent, *Mar. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47.*

30. 8. *Adversatur absolutioni à peccatis:* Quâ formâ absolutionis, & annunciandæ peccatorum remissionis usi sunt Christus, & Apostoli, eadem rectè hodierni utuntur Ecclesiæ Ministri. Atqui eâ sunt usi, quæ erat gratuita, & non includebat mentionem Indulgentiarum pretii interventu redimendarum, *Matth. 9.* Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. *Johan. 8.* Vade, & posthac ne peccaveris. *Luc. 7.* Fides tua te salvam fecit, vade in pace. Ergo.

31. *Insurgit verò Bellarminus, & argumentum pro sua petita opinione libr. 1. cap. 1. ab usu appellationis Indulgentiæ. Legitur enim ea in versione vulgata Esa. 61. v. 1. Prædicate captivis Indulgentiam, & clausis aperi-tionem. Hoc in Evangelio Luca redditum videmus cap. 4. Prædicate captivis remissionem. Apostolus Paulus, 1. Cor. 7. v. 6. Hoc dico, inquit, secundum indulgentiam, non secundum imperium. Ecclesia igitur, & Schola Theologorum indulgentias vocant remissiones pœnarum, quæ sæpe remanent luedæ post remissionem culparum, & reconciliationem in Sacramento pœnitentiæ adeptam: quas remissiones summi Pontifices ex paternâ lenitate, & condescensione in filios suos, compatientes eorum infirmitati, certis temporibus, & non sine justâ aliquâ & rationabili causâ concedere solent.*

32. *Resp. 1. Ab appellationibus, in primis editionis vulgariæ Latinæ, infirma petuntur fundamenta. 2. In Scriptura nomine Indulgentiæ sæpe intelligitur gratia, & misericordia Dei, ut Esa. 63. v. 7. 9. Judith. 8. vers. 12. Et varicinium Esa. 61. v. 1. Christus non refert ad indulgentias papales; sed ad se, & suum officium. Ipse enim,*  
veras

veras indulgentias sanguine suo nobis acquisivit, quas enuncian-  
das curat. 3. Quis sit indulgentiarum papalium finis, & rationabilis  
causa, praxis ostendit pontificia nimirum opes corradere. 4. Ulus ap-  
pellationis illius in primitivâ Ecclesiâ erat in mitigatione contritio-  
nis, & Ecclesiasticæ satisfactionis eorum, qui Ecclesiam publicè of-  
fenderant, non quasi hoc ipso peccata sua coram Deo expiarent, Sed  
ut reconciliarentur Ecclesiæ. Cassander in consultat. Art. 12. sub ti-  
tul. de Indulgentiis: *Pœnarum, inquit, canonicarum imminutio & relaxa-  
tio indulgentia dicebatur, qua hodie ad privatas quoq; satisfactiones traducta  
est, & ab Episcopis, ad solum Pontificem Romanum, plenum indulgentiarum  
tribuendarum jus delatum: circa quarum usum, & praxin optimi quiq; cor-  
rectionem, & moderationem fieri desiderarunt: ut qua parum dextre tractata  
hujus dilacerationis Ecclesiæ præcipuam occasionem dedere. Hic optandum es-  
set, ut Pontifices paci publicæ aliquid concedant. Augustinus in Enchir. ad  
Laurentium cap. 65. Rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præsumt, tempo-  
ra pœnitentiæ, ut fiat etiam satis Ecclesiæ in qua remittuntur ipsa peccata. 5. De  
indulgentiis papalibus nihil novit Scriptura, ut in præcedentibus o-  
stendimus. Frustrâ igitur ad eam provocant Pontificii.*

33. Quæstio secunda: *Quid sit sentiendum de thesauro Pontificio, qui indulgentiarum Papalium est fundamentum? Seu: Num extet in Ecclesiâ thesaurus satisfactionum, & bonorum operum sanctorum, qui applicari popu-  
lis, qui rei sunt pœna luenda?*

34. Resp. Multi sunt Pontificii in commendando suo the-  
sauro. Vident enim hoc ablato subsistere vix posse Papatum. Eckius  
in Enchir. tit. 24. *Expende catholice, inquit, quia miseria sanctorum adjungē-  
da sunt pressuris Christi ad communem Ecclesiæ utilitatem. Et est iste thesaurus  
meritorum, de quo dicit Ecclesiæ, precibus & meritis Sanctorum. Costerus in  
Enchir. cap. 12. p. 413. Christus, inquit, thesaurum inexhaustum Ecclesiæ de-  
dit, cui suas passiones infiniti meriti commisit, in quem etiam Sanctorum ipsis  
non necessariis satisfactiones reponit, ut Ecclesiæ præsules, præsertim verò sum-  
mus Pastor, & supremus bonorum Ecclesiasticorum dispensator, quoties in rem  
Ecclesiæ, vel animarum utilitatem fore putabant, eum aperiant, & pro debitis  
pœnitentium, hoc est, pro pœnis, quarum post absolutionem Sacerdotalem rei  
tenentur, per indulgentiam dispensent, & Christi, sanctorumq; passionibus sa-  
tisfaciant. Ballarminus lib. 1. cap. 2. rem eandem aliquot proponit pro-  
positionibus: *Ad thesaurum superfluentium satisfactionum, inquit, perti-  
nent**

ment etiam passiones B. Maria virginis, & omnium aliorum sanctorum, qui plus passi sunt quam eorum peccata requirerent.

33. Quam vera autem est purgatorii fabula, tam vera etiam sunt ea, quæ fabulantur Pontificii de illo thesauro suo. Nam. 1. Christi satisfactio pro omnium hominum peccatis est sufficientissima, ipse solus satisfecit. Ergo nullo ipsi sanctorum opus est adiumento, *Esa. 63. vers. 3. 5.* SOLUS torcular calcavit, nec fuit ei auxiliator. Itaque unus est Mediator Dei, & hominum, videlicet Jesus Christus, *1. Timoth. 2. vers. 3.* Qui est propitiatio pro totius mundi peccatis *1. Johan. 2. v. 2.*

34. 2. Sanctorum opera sunt imperfecta, multis modis contaminata, *Esa. 64. vers. 6.* Facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruata, universæ justitiæ nostræ. Ergo sancti opera divinitus præcepta plenè non perficiunt. *Jacob. 3. vers. 2.* In multis labimur omnes. Si quis in sermone non labitur hic perfectus est vir.

35. Quicumque se debent agnoscere servos inutiles, & indies remissionem peccatorum petere, illi ne quidem pro suis, nedum pro aliorum delictis satisfacere possunt. Atqui sancti agnoscere se debent servos inutiles, *Luc. 17. vers. 10.* Vos, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Debent indies petere peccatorum suorum remissionem: Nam annon indies recitare debent orationem Dominicam? Annon igitur dicere debent: Dimitte nobis debita nostra? *Matth. 6. v. 12. Luc. 11. v. 4.* Nam coram Deo nemo est innocens, *Exod. 34. v. 7.* Si dixerimus nos peccatum non habere, fallimus nos ipsos, & veritas non est in nobis, *1. Johan. 1. v. 8.* Non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum, *Rom. 3. v. 12.* Oportet igitur semper orare, & nunquam deficere. Si enim iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit, *Psal. 130. v. 3.* Dixi confitebor adversum me in justitiam meam Domino: Et tu remisisti impietatem peccati mei *Psal. 31. v. 6.*

36. 4. Qui nequidem legem Dei perfecte potest implere, & ille opera supererogationis nequit præstare. Atqui nullus Sanctorum legem Dei perfecte potest implere. Ergo. Nam omnes sunt peccatores etiam post factam regenerationem: David homo renatus, est vir secundum cor Dei canit. *Psal. 19. Delicia quis intelligit.*

Oooo

Psal. 38.

*Psal. 38. Iniquitates meae supergreſſe ſunt caput meum, ſicut onus grave gra-  
viores fuerunt mihi* *Pſal. 143. Ne intres cum ſervo tuo in iudicium, quoniam  
non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Eſaias vir, & Propheta  
Dei ſanctus dicit cap. 6. Va mihi, quia obticui, nam vir pollutis labiis ſum ego  
& in medio populi pollutis labiis habito. Et cap. 46. Sumus, ut iniqui omnes  
Proverb. 20. dicit Salomon: Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum  
mundus ſum à peccato? Quare juſtificati etiam ſunt legis tranſgreſſo-  
res, & legem Dei perfectè nequeunt implere, nedum opera ſuperero-  
gationis præſtare.*

37. Inde Epiftola ad Hebræos diſcrimen docet eſſe ſum-  
mum inter Paſſionem Chriſti, & Paſſiones Sanctorum, *cap. 13. verſ.  
24. Acceſſiſtis ad N. Teſtamenti conciliatorem Jeſum, & ad ſanguinem aſper-  
ſionis meliora loquentem, quam loquebatur ſanguis Abel.* Nam ſolus  
Chriſti immaculatus ſanguis veniam peccatorum impetrat, commaculatus verò ſanctorum ſanguis vindictam exigit. Leo Epift. 83. Scri-  
bit: *Acceperunt juſti, non dederunt coronas, & de fortitudine fidelium nata  
ſunt exempla patientia, non dona juſtitia, ſingulares quippe eorum mortes  
fuere nec alterius quiſquam debitum ſine ſuo perſolvit cum unus extiterit  
Dominus Chriſtus, in qua omnes crucifixi, omnes mortui, ſepulti, ſuſcitati: Er-  
go ſancti operum ſupererogationis theſaurum non conſtituunt, nec  
ſibi, nec aliis quicquam paſſione, & morte impetrant. Frater non  
redemit fratrem, nec dat Deo pretium redemptionis. *Pſalm. 49. verſ.  
8. Quinimo cadit juſtus in die ſepties, Prover. 24. verſ. 16. Et ſe pecca-  
torem profiteri neceſſe habet, 1. Joh. 1. v. 10. Ergo plus non præſtat,  
nec præſtare potuit, quam lex requirit.**

38. 5. Idem evincimus argumentis plurimis in loco de  
Juſtificatione, oſtenſuri opera noſtra non eſſe meritoria, & gratis nos  
juſtificari: Sicut enim per inobedientiam unius peccatores conſtituti  
ſumus multi: Sic per obedientiam unius juſti conſtituentur mul-  
ti, *Rom. 5. Nemo venit ad Patrem niſi per me, Joh. 14. Non eſt in  
alio quoquam ſalus, neque eſt aliud nomen ſub cælo, in quo ſalvari  
oportet, Act. 4. v. 12. Chriſtus unicâ oblatione PERFECTO S EFFECIT  
IN PERPETUUM eos, qui ſanctificantur. Heb. 10. Juſtificamur nos  
gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu,  
quem propoſuit Deus reconciliationem per fidẽ, interveniente ipſius  
ſangu-*

languine, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præteritorum peccatorum, *Rom. 3. v. 24. 25.* Gratia Dei salvati estis, per fidem, idque non ex vobis? DONUM Dei est, NON EX OPERIBUS, ne quis gloriatur, *Ephes. 2.* Si per gratiam, non jam ex operibus: quandoquidem gratia jam non est gratia: Sin ex operibus, non jam est gratia, quandoquidem opus jam non est opus. *Rom. 11.* Qui enim operatur, merces NON imputatur secundum GRATIAM, sed secundum DEBITUM.

39. 6. Quo Deus, veluti per efficacissima organa est efficax, & peccatorum indulgentiam, & spiritualia bona nobis offert, confert & largitur, illud est verus Ecclesiæ thesaurus. Atqui Deus spiritualia bona & peccatorum indulgentiam per verbum, & Sacramenta tanquã per efficacissima organa nobis offert, confert, & largitur, *Rom. 1. v. 16.* *Evangelium est potentia Dei ad salutem. Tit. 3. v. 5.* *Per lavacrum regenerationis Deus nos salvat. Ergo.*

40. 7. Extra verbum & Sacramenta nulli peccatori Deus promittit veniam: Et nullum alium thesaurum pro temporalibus pœnis Ecclesiæ reliquit. Extra verbum igitur & Sacramenta satisfactio non confertur. Atque applicatur ea solâ fide.

41. *Objicit Bellarminus objectiunculas nonnullas, quarum precipuas examinabimus. Prima igitur hac esto: Constat Virginem Mariam nullo peccato actuali maculatam fuisse, piùm quoque est existimare, ab originali quoque peccata immunem illam fuisse. Non igitur eguit virgo Maria ullâ satisfactione pro se, & tamen plurima passa est propter Deum. Ad thesaurum igitur Ecclesiæ passionis illa pertinent.*

42. Resp. 1. Falsum est Mariam sine peccato originis fuisse: Nam quod ex carne natum est, caro est, *Joh. 3.* Quis dabit mundum de immundo, *Joh. 14.* Quid est homo, ut mundus sit, & ut justus sit, qui natus est ex muliere? *Joh. 15.* Per unius enim delictum propagatum est malum in omnes homines, *Rom. 5.* Concipimur igitur omnes in peccatis, *Psal. 51.* Et naturâ sumus filii iræ, *Eph. 2.* 2. Si Maria ab omni peccato fuisset immunis, non venisset propter eam in mundum Servator: Nam venit, ut quæreret, quod perierat, *Matt. 18.* Venit non propter justos, sed propter peccatores, *Matt. 9. 1. Tim. 1. 3.* Ipsa sola necesse non habuisset, in Christum credere, & per fidem in illū salvari. 4. Ne-

cessè non habuisset precari: *Remitte nobis debita nostra.* 5. Necessè non habuisset, exacto puerperio, se submittere legi, & offerre sacrificium pro peccato, *Num. 12.* At se submitit, & pro Christo etiam hunc ritum servavit, *Luc. 2.* Cum enim ipse propria peccata non haberet, *Pater* in illum rejecit peccata omnium nostrum, *Esa. 53. 6.* Imò totus cultus Dei respectu Mariæ fuisset inanis: Non eguisset Baptismo regenerationis lavacro: Qui enim omnium peccatorum est immunis, à peccatis non lavatur: Non potuisset uti sacrâ Cœnâ, siquidem dici ei non potuisset: *Manduca, hoc est corpus Christi, quod pro te in mortem est traditum: Bibe, hic est sanguis Christi, qui pro peccatis tuis est effusus.* 7. Unde tanta Mariæ fuit puritas? Num & illa, sicut ejus filius, præter rerum seriem concepta est de Spiritu S. sine virili semine?

43. 8. *Elisabetha* acclamat ei dicens: *Beata es, quia credidisti, Luc. 1.* Fide igitur in Filium est salvata. 9. Prædicatur in cantico, non justitia Dei, quâ respexerit ad Mariæ dignitatem, & perfectionem, eamque ex condigno in opere nativitatis Filii sui prætulit: Sed misericordia Dei, quâ respexerit ad ancillæ suæ humilitatem. 10. *Cum Luc. 11.* Beata prædicaretur, quod talem genuisset filium, respondet Dominus: imò beati hi, qui sermonem meum audiunt, & custodiunt illum.

44. 11. Constat ex Scriptura de infirmitatibus ipsius, quæ peccatis annumerantur: Nam cum festo Hierosolymæ celebrato in Galilæâ reverteret, non eâ, qua par erat, custodiebat puerum Jesum curâ, *Luc. 2.* cum filio, quem in medio Doctorum sedentem invenit, expostulat. In iis, quæ ad maternam curam non pertinent, præscribere conatur, *Joh. 2.* Quare dubium licet sit nullum, Mariam virginem sanctè, & coram hominibus inculpate vixisse, electumq; Sp. S. templum, & habitaculum fuisse, tamen figmentum est papisticum eam omni peccato actuali caruisse, & peccato originali contaminatam non fuisse.

45. 12. Infinita Dei justitia erat læsa. Huic ut ex condigno satisficeret, non Mariæ virginis, imò non sanctorum omnium passiones, etiamsi in unum collectæ fuissent, sufficere potuerunt, ne quidem vel quoad unius peccati expiationem, vel quoad pœnam temporariam. Si maximè igitur Maria virgo peccatorum omnium fuisset immunis, non tamen suis passionibus unius peccati expiationem impetrare potuisset.

46. At inquis, à Patribus nonnullis, Mariam excellentiorem prædicari ipsis Angelis.

47. Resp. Excellentior prædicatur non respectu puritatis, quasi dum in his terris viveret angelis spiritibus fuerit purior: sed respectu partus sui: Unigeniti enim Filii Dei est mater.

48. Objectionem Bellarminus secundam petit ab exemplo Johannis Baptista, sanctorum Prophetarum Heb. 11. & Apostolorum, 1. Cor. 4. 2. Cor. 11. Fuerunt enim omnes viri sanctissimi, ita ut modicâ omnino pro suis culpis satisfactione opus habuerint; Et tamen tot angustiis, & afflictionibus oppressi fuerunt, ut plurima, & maxima peccata expiare potuerint. De se B. Job unus ex vetustissimis Prophetis sic ait c. 6. Vtinâ apprehenderentur peccata mea, quibus iram merui. & calamitas, quam patior in staterâ, quasi arena maris hac gravior appareret.

49. Resp. 1. Aliud est quærere de ipsâ vitâ æternâ, & aliud de eo, quod obtinget piis in vitâ æternâ; Aliud est agere de causâ, & aliud de normâ: Quod Deus opera renatorum fit retributus non solum in hac vitâ, sed etiam in futurâ à nobis in controversiam non vocatur: Leguntur enim hac de re aperta Scripturæ testimonia, Psal. 41. v. 12. Es. 58. Matt. 25. Luc. 14. 16. 1. Tim. 1. Verùm ipsa vita æterna non est merces bonorum operum, sed donum gratuitum. Recompensabit verò Deus benefacta ex promisso, & bonitate merè gratuitâ. 2. Beati Prophetæ, & Apostoli latissima suarum afflictionum jam pridem tulerunt præmia, immarcessibili gloriæ coronâ decorati, de cunctis adversitatibus felicissimè superatis triumphos agêtes. 3. Satisfactionē omnem in solius Christi merito unice constituebant. Non igitur eguerunt suarum passionum satisfactione ad suorum peccatorum expiationē. 4. Passiones sanctorum fuisse satisfactorias pro aliorum peccatis, nullo verbo ostendi potest ex Scripturâ, & ne quidem cogitarunt illud Sancti. 5. Versio vulgata apud Jobum c. 6. aberrat à fonte Hebraico, in quo non legitur, peccata mea, quib. iram merui, sed וַיִּזַּע quod vocabulum Ariæmontanus reddidit voce iræ. 7. Confert Job inter se non peccata sua, & flagellum, sed infortunium suum cum arenâ maris. 8. Imò translatio vetus non iuvat Pontificios: Ex eo enim, quod Jobus commotus magnitudine dolorum, & tentationum conqueritur secundum sensum carnis, se durius affligi, quam par sit, non sunt stabilienda dogmata fidei.

50. *Primarium pontificii suarum indulgentiarum fundamentum petunt ex Col. 1. v. 24. Gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, qua de sunt passioni Christi in carne meâ. Ergo passiones Pauli, & reliquorum sanctorum profunt aliis.*

51. *Resp. 1. Passiones Christi sunt duplices: Priores sunt, quas in naturali suo corpore pro totius mundi peccatis sustinuit; Posteriores sunt, quas sustinet in corpore suo mystico, quod est Ecclesia: Priores sunt absolutissimæ; Posterioribus tamdiu aliquid deest, quamdiu superlunt sancti affligendi. 2. Aliud est pati loco alterius, & aliud causâ alterius: Christus loco Colossensium est passus; Apostolus patiebatur causâ ipsorum, dum mystico Christi corpori prodesse studebat ad ædificationem in fide, & in verbo Evangelii, ut fideles in susceptâ Christianâ religione persecutionibus Apostoli cõfirmarentur. Explicationem hanc tradit ipse Apostolus, 2. Cor. 1. v. 6. Sive tribulamur pro vestrà exhortatione, & salute, qua efficitur in tolerantia earundem passionum, quas & nos sustinemus. Et Philip. 1. v. 12. Quæ mihi evenerunt, magis ad perfectum Evangelii evenerunt.*

52. *Quæstio tertia: Nam justè sibi arroget Pontifex Romanus auctoritatem peccata, & illorum poenas. sive presentes, sive futura sint remittendi?*

53. *Resp. 1. Auctoritas, quæ solius Dei est, nequit sibi Papa sine maximâ impietate arrogare. Atqui magisterialiter peccata remittere solius est Dei, Esa. 43. v. 25. Ego, ego sum, qui deleo pravaricationes tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Luc. 5. v. 21. Quis potest remittere peccata nisi solus Deus. Beda scribit: Dicunt Pharisei, quia nemo dimittere peccata potest nisi Deus, qui per eos quoque dimittit, quibus dimittendi tribuit potestatem, & idè Christus verè Deus esse probatur, quia dimittere peccata, quasi Deus potest. Ergo.*

54. *2. Quæ claves, & quibus sunt traditæ, illæ, & ab iisdem sunt usurpandæ. Atqui claves non fictitii Pontificii thesauri, sed regni celorum sunt traditæ, & quidem non soli Petro, sed omnibus Christi discipulis. Ergo. Orig. tract. 1. in Matth. Quod si idem loquimur, quod Petrus locutus est, efficitur Petrus: Et nobis dicitur: tu es Petrus: Petra enim est, quisquis discipulus est Christi.*

55. *3. Qui potestatem habet absolutam, & liberam animas ex purgatorii igne liberandi, eum oportet esse durum, & avarum, quod eas non statim liberat, sed torqueri permittit, donec prius certa peccata in*

cunia in jubileo numeretur. Atqui habet eam ex opinione pontificiâ Papa Romanus. Ergo.

56. 4. Verbi divini Ministris est quidem thesaurus gratuita peccatorum remissionis traditus; Sed ita ut illum non magisterialiter, sed ministerialiter dispensent, & causa indulgentiæ hujus sit summa Dei misericordia, non Simonia, καὶ Φιλαργυεῖα.

57. Quæstio quarta: Num defunctis indulgentiæ per modum suffragii possint conferri?

58. Resp. Dogma pontificium de purgatorio esse fabulosum ad quæstum faciendum, & culinas ipsorum instruendas excogitatum Disputat. 21. & 22. ostendimus. Frigeant igitur omnia illa aucupia, quibus Pontificii uberes admodum quæstus ex animarum latrocinis hucusque fecerunt. Nam 1. Servator dicit Joh. 5. v. 24. Amen amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit, ei qui misit me. IN JUDICIUM NON VENIET, sed TRANSIBIT à morte in vitam. At omnes credentes audiunt sermonem Christi, & credunt ei, qui misit illum, Joh. 10. Ergo omnes credentes sine interventu judicii, recta transeunt de morte in vitam, & non deferuntur in locum, in quo pœnam luant, & in quo indulgentiis juvari possint.

59. Ne dixeris, transire quosdam à morte in vitam, sed mediatè, nimirum mediante statu purgatorii, non immediatè. Nam refutat somnium hoc phrasis (de morte in vitam) & verbum præteriti temporis (μετέβηκε transivit) præterito, & non futuro Dominus est usus, ut immediatum doceret transitum.

60. 2. Latroni igitur pœnitentiâ agenti dicit Salvator Luc. 23. Amen dico tibi: HODIE mecum eris in Paradiso. 3. Nam justificati PACEM habemus erga Deum Rom. 5. ut ABSQUE TIMORE serviamus ei, Luc. 1. Non enim accepimus Spiritum servitutis ITERUM AD TIMUM, Rom. 8. 4. Qui semel enim mortuus est, liber est à peccato, Rom. 6. vers. 7. Beati igitur mortui, qui in Domino moriuntur A MODO, Apoc. 14. vers. 13.

61. 5. Universum tempus consequendæ veniæ, & liberationis à peccatis, & peccatorum pœnis circumscribitur præsentis hujus vitæ terminis, 2. Cor. 6. Ecce NUNC tempus acceptum, ecce NUNC DIES salutis. Gal. 6. Operemur bonum DUM TEMPUS HABEMUS 2. Cor. 5. In novissimo die quisque reportabit ea, quæ facta sunt PER CORPUS: Eccles.

*Eccles.* 1. Quémcumque in locum ceciderit arbor, Ibi futura est. Post hanc igitur vitam nemo alterius potest juvari suffragiis.

62. 6. Varias commemorat Scriptura exequias, quas Patriarcha, Prophetae, Reges, & alii pii fecerunt defunctis. Nullibi verò vel verbo injicit mentionem Purgatorii, & praesidiarum, atq; suffragiorum, quibus animae defunctorum in Purgatorio juvari possint. 7. Num verisimile est, cum Scriptura narret varia sacrificiorum genera, quod si darentur ejusmodi suffragia, de quibus ingens in regno pontificio est strepitus, eadem in ipsa alicubi non descripta esse?

63. Quaestio quinta: *Quid statuendum de Jubilæo pontificio.*

64. Resp. 1. Indulgentiae in Deum, & meritum Christi sunt contumeliosae. Ergo & iste Jubilæus. 2. Non nititur autoritate divina sed humanâ, & quaestus gratiâ est institutus. Accommodamus igitur huc illud Petri, *Act.* 8. v. 20. Pecunia tua tecum pereat, qui donum Dei existimas pecuniis acquiri. Instituit, & celebravit Jubilæum primus Bonifacius VIII. anno 1300. teste Platina in vita Bonifacii, & Polydoro Vergilio lib. 8. c. 1. De hoc Pontifice dicit Crantzius lib. 4. c. 26. *Bonifacius VIII. Jubilæum primus instituit, utinam solius pietatis gratia? Idem voluit centesimo quoq; anno eum celebrari, sed Clemens VI. (dubium an amore pecuniae, an desiderio salutis hominum) sancivit eum celebrari anno quinquagesimo. Sixtus V. ordinavit ut 25. anno celebraretur.* Dicit Olorius de Jubilæo hoc Tom. 5. Concion. in pub. jub. *Cum Jubilæus jungitur, indulgentia plenissima conceditur: tunc enim procedit ab ea homo tanquam à fonte Baptismatis liber ab omni peccato, ut nihil sit, quod eum tenere possit, quin in caelum evolet, si hinc migraret.* Sed hæc narrasse sufficit.

65. Christianus verò Jubilæus est lætissimi Evangelii prædicatio, in qua gratuita peccatorum liberatio annunciat omnibus verè pœnitentibus, & in Christum credentibus propter unicum Christi meritum.

Finis Disputationis XXXV.



DISPUTATIO XXXVI.  
**DE EXTREMA VNCTIONE, ET**  
*Ordine*  
**Resp. Johanne Chilianii Trapstadiensi Franco.**

THESIS I.



*Ergimus agere de extrema Vnctione, & Ordine, ex quibus Sacramenta proprie dicta faciunt Pontificii, & de quibus superstitiosa, atq; ineptias varias proponunt.*

SANCTENTIA PROTESTAN-  
 TIUM

2. Unctio igitur alia est Apostolica, & alia Pontificia. Unctio Apostolica temporale quid fuit, quod adhibebatur ab Apostolis ad morbos corporis miraculose profligandos. Frequens enim in illis regionibus erat usus olei. Apostoli igitur eorumque discipuli externo & visibili signo testificaturi ex arcanâ Dei virtute provenire sanitatem, cujus illi tantum erant Ministri, sed *iamâto* doni, præditi, in sanandis corporalibus morbis præter alia signa externa sæpe etiam adhibere sunt soliti unctioem olei. Nam. 1. sub lege usu receptum erat Spiritus S. gratiam oleo significare, ut ipso externo symbolo homines monerentur, sanationes illas non conferri, vel humanâ vel magicâ aliquâ ratione, sed esse dona cælestia ex divinâ virtute. 2. In illis regionibus oleum erat præstantissimum, & quidem non tantum ad cibum, & hilaritatem 4. Reg. 4. & Psal. 103. Sed etiam ad curationes Esai. 1. Ezech. 16. Luc. 10.

3. Signum verò hoc non fuit Sacramentum proprie dictum, seu à Deo institutum, & perpetuè Ecclesiæ mandatum, ad promissionem gratiæ Evangelicæ de remissione peccatorum offerendam, & conferendam, atque collatam obfignandam; sed tantum usurpatum fuit extraordinariè ad corporales morbos curandos.

4. Postquam autem dona miraculosa cessarunt in Ecclesia, cessare & hoc debuit sanationum signum.

Pppp

5. Super-

3. Superstitiosa Unctio Pontificia ex stulta, & inani *καυσιμία* usurpata toto genere differt ab Apostolica: Ungebant enim Apostoli aegros, ut miraculosè revalescerent; At Pontificii oleo non nisi eos unguunt, de quorum vitâ, & valetudine penitissimè desperatum esse videtur.

6. Ministri ad Ecclesiæ ministerium legitimè vocati exemplo Apostolorum, & Ecclesiæ primitivæ non tantum publicis precibus, sed etiam solemnè actione, ac quibusdam ritibus, ordinis, & decori causâ, publicè inaugurantur, & Deo atque Ecclesiæ sistuntur, & quasi consecrantur, ut hac ratione populo Ministerii Ecclesiastici dignitas commendetur, & ordinati admoneantur, se jam Christo ejusque Ecclesiæ esse addictos.

7. In hac ordinatione Ministrorum adhibebatur tanquam ritus, manuum impositio, qui ritus licet non sit mandatus, ordinis tamen, & decori causa in Ecclesiis nostris usurpatur.

8. Vocatio legitima facta cum consensu totius Ecclesiæ facit Ecclesiæ Ministrum: cujus ordinationis est declaratio, seu Ordinatio est legitimæ vocationis publica testificatio, in conspectu Dei, & totius Ecclesiæ.

9. Ordines inter Ecclesiæ Ministros nequaquam sunt negandi. Fecit enim Deus ipse inter ipsos ordines donorum varietate, ut sint Apostoli, Prophetæ, Evangelistæ &c. Eph. 4. v. 11. Et confusiones sunt vitandæ, 1. Cor. 14. v. ult. Opus igitur est ordinem servari. Atque facit ordo ad unitatem servandam.

10. Nulli verò ordines certo, & necessario numero præscripti sunt in scriptura. Ordinum Pontificiorum neque nomina, neque res sunt in Scripturâ.

11. Ceremoniæ, quibus in Ministrorum ordinatione utuntur Pontificii, quales sunt Unctio, rasura, &c. non sunt ab Apostolis institutæ imò plenæ sunt *καυσιμία* Judaicâ.

12. Non sunt igitur Sacramentum propriè ita dictum, nec conferunt gratiam justificantem, neque imprimunt characterem indelebilem.

#### SENTENTIA PONTIFICIORUM.

13. Si quis dixerit extremam unctionem non esse verè, & pro

propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus aut figmentum humanum, anathema sit, *Concil. Trident. de extrem. Vnct. Can. 1.*

14. Si quis dixerit, sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec allevare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuit gratia curationum, anathema sit, *Conc. Trident. Can. 2.*

15. Si quis dixerit, extremæ unctionis ritum, & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ beati Jacobi Apostoli, ideòque eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato contemni, anathema sit, *Concil. Trident. Canon. 3. Bellarminus pagin. 1635.*

16. Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, anathema sit, *Concil. Tridentin. de Sacrament. Ordinat. Canon. 3. Bellarminus pagin. 1659.*

17. Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanct. ac proinde frustra Episcopos dicere: Accipite Spiritum Sanct. aut per eam non imprimi Characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit, *Concil. Trident. Canon. 4.*

18. Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesiâ Catholicâ alios ordines, & majores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit, *Concil. Trident. C.*

19. Accipitur verò ordo duobus modis, propriè & communiter. Propriè illi dicuntur ordines, qui certo ritu factò, & solemnè conferuntur ab Episcopo, & ad certum Ministerium sacrificio divino exhibendum referuntur. Quâ ratione septem duntaxat ordines numerantur, ut sunt: Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acolutus, Lector, Exorcista, Ostiarius.

20. Communiter autem dicuntur ordines illi omnes, quomodocunque dedicantur divinis obsequiis, etiam si non referantur ad sacrificium, & hoc modo etiam Monachi, Virgines, & viduæ Deo sacratæ, nec non laborantes in sepeliendis defunctis,

Ordines aliquando dicuntur à Patribus, Bellarminus lib. 1. de Cler. C. 14.

STATUS CONTROVERSIAE.

20. Controversiæ igitur sunt variæ, quas ad certas referemus quæstiones, ostensuri extremam unctionem non esse Sacramentum propriè ita dictum conferens gratiam, & remissionem peccatorum: Rectè eam ab Evangelicis intermitteri: Ordinationem non esse Sacramentum propriè ita dictum: Ordines Pontificios ostendi non posse ex Scripturâ: Tonsuram & alias ceremonias esse superstitiosas: Evangelicos non posse petere vocationem & ordinationem à Pontificiis: Ministros Ecclesiæ apud Evangelicos legitimè vocari, & ordinari.

21. Quæstio prima: Num extrema unctio sit Sacramentum propriè ita dictum conferens gratiam & remissionem peccatorum.

22. Resp. Quanti faciant Pontificii extremam Unctionem th. 12. & 13. ostendimus: Fabulantur enim quod sit Sacramentum propriè ita dictum conferens remissionem peccatorum. Materiam hujus Sacramenti esse, ajunt, oleum olivæ ab Episcopo benedictum, Bellarminus de Extr. Vnct. C. 7. Formam, his contineri verbis: Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus, quicquid deliquisti per visum, Bellarminus ibidem. Effectus esse duos, unum quod sanat corpus, si ita expedit animæ salutis, alterum, quod abstergat reliquias peccatorum, subiectum esse eos, qui omnino morituri videntur, quorum organa sensuum, oculi, aures, nares, labia, manus, pedes, & renes oleo exorcizato debeant hanc formam ungi: In nomine Patris, Filii, & Spiritus S. ungo te oleo sacro, ut per hanc unctionem accipias plenam remissionem peccatorum.

23. Oleum vero, quo utuntur, exorcizant die Jovis antecedente festum Paschatos his verbis. Exorcizo te, immundissime Spiritus, omnisq. incurso Sathana, & omne phantasma, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit effici unctio spiritualis ad corroborandum templum Dei vivi: ut in eo possit Spiritus S. habitare per nomen Dei dilectissimi Filii ejus Jesu Christi. Exorcizatione peracta, & Diabolo ejecto fit consecratio sequentibus verbis: Emitte Domine Spiritum paracletum de calis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectioem mentis, & corporis: ut tua sancta bene & dictione sit  
omni hoc

omni hoc unguento celestis medicina peruncto, tu tamen mentis, & corporis, ad evacuandos omnes dolores; omnes infirmitates; omnemque aegritudinem mentis, & corporis; unde unxisti Sacerdotes, Reges, Prophetas, & martyres tuos; Sit Chrisma tuum perfectum nobis Domine à te benedictum, permanens in visceribus nostris, in nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen.

24. Docent verò Protestantes licet in Unctione illâ Pontificiâ accedat ad Elementum verbum, quod tamen non sit Sacramentum propriè ita dictum conferens remissionem peccatorum.

25. Nam. 1. Non hominis, sed Dei est Sacramenta instituire: Quicquid igitur à Deo non est institutum, nec ordinatum, nec habet divinam promissionem gratiæ, & remissionis peccatorum, neque habet externum Elementum à Deo ipso institutum; illud non est Sacramentum propriè ita dictum. Atqui Unctio illa Pontificia à Deo non est instituta, nec habet promissionem gratiæ, & remissionis peccatorum, Ergo.

26. 2. Quicquid rei naturali, nimirum oleo, non dedit Deus, illud ei nequit suis consecrationibus conferre Episcopus, cum hac de re non habeat ullam promissionem. Atqui oleo hanc virtutem non dedit Deus, quod possit à peccatis mundare. Ergo. Imò non sine insigni idololatriâ, & horribili superstitione oleum per Diabolicos exorcismos exorcizatur, & conspurcatur, quasi à Diabolo sit obsessum.

27. 3. Virtus & efficacia, quæ soli competit sanguini Christi, Esa. 42. v. 8. *Gloriam meam non dabo alteri, nec laudem meam sculptilibus,* non debet adscribi externo elemento & quidem ex auctoritate humanâ. Atqui à peccatis mundare soli sanguini Christi adscribitur in Scriptura, 1. Joh. 1. v. 7. *Sanguis Jesu Christi, Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Eph. 1. v. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus (remissionem peccatorum) secundum divitias gratiæ ejus.* Ergo. Impingit igitur unctio Papistarum in summum caput Christianæ religionis, quod est de justificatione, & salute perpetuâ, dum gloria sua Christo adimitur, & adscribitur infirmo, & egeno elemento Gal. 4. v. 9.

28. 4. Quod in primitivâ Ecclesia non fuit in usu, illo salva salute carere possumus. Atqui Unctio illa Pontificia in primitiva Ecclesia non fuit in usu. Certè si tanta ejus esset virtus, quantam ei ad-

Scribunt Pontificii alicubi id docuissent Apostoli, quos Spiritus S. in omnem duxit veritatem. At nusquam docuerunt. Ergo.

30. 5. Imò Pontificii ipsi certò ostendere nequeunt quæ peccata unctio illa remittat. Quam igitur consolationem ex ea petere potest moribundus?

31. Pontificii contra provocant ad Scripturam, ex qua duo proferrunt testimonia. Prius legitur Mar. 6. Vbi dicitur, Apostolos oleo unxisse, & curasse infirmos. Posterius Jacob. 5. ubi ita legimus: Infirmatur quis in nobis? Indicat Presbyteros Ecclesie, & orent super eum ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit remittentur ei. Hinc ita inferunt: Datis omnibus requisitis Sacramenti, datur ipsum Sacramentum. Atqui in his Scriptura dictis dantur omnia Sacramentorum requisita. Ergo. Nam symbolum externum est unctio olei cum oratione fidei. Promissio est allevatio infirmi, & remissio peccatorum. Institutio colligitur ex constanti promissione Apostoli: Neque enim Apostolus tam constanter, & absolute id promitteret, nisi Dominus id constituisset, & mandasset. Jacobus igitur non instituit Sacramentum, sed hortatur ad illud suscipiendum, quod à Domino noverat institutum. Videatur. Bellarminus de extrem. Vnct. C. 2.

32. Resp. 1. Unctio illa Apostolica, de qua agitur, Mar. 6. fuit temporale quid, & non perpetuum, quæ durare debuit donec Evangelii doctrina plenè confirmaretur. Hac igitur confirmata cessavit: Nec unquam legitur Ecclesie ab Evangelistis mandata. 2. Narratur ab Evangelista miraculum aliquod: Corporaliter enim ægros, & infirmos Apostoli sanabant adhibito oleo, quemadmodum Esaias per miraculum curabat Hiskiam Regem ægrotantem imposita ulceri ficu: Et quemadmodum Apostoli nonnullos adhibita manuum impositione sanarunt. 3. Itaque si Pontificii retinere voluerint Unctionem Apostolicam, hoc ipso obstricti erunt ad facienda miracula, ad resuscitandos mortuos: Unctio enim fuit simul miraculosum donum: Unde Apostolus dicit 1. Corinth. 12. versicul. 9. Alteri datum esse donum, seu gratiam sanitarum secundum eundem Spiritum. 4. Nusquam narratur in Scriptura Apostolos unctio olei curasse morbos spirituales animarum; Sed depulsis mor.

sis morbis corporalem sanitatem conferebant, ut & in aliis suis miraculis. At Pontificii unctioe suâ, ajunt, remitti peccata. 5. Apostoli hoc sine unxerunt ægros, ut revalescerent; Pontificii non nisi eos unguunt de quorum vitâ, & valetudine penitissimè videtur esse desperatum. 6. Marcus dicit quidem, Christum dedisse Apostolis virtutem, & potestatem sanandi ægros; At non dicit Christum præscripsisse Apostolis mandato suo materiam olei in omnibus ægotantium sanationibus necessariò adhibendam; Sed ipsos adhibuisse externum symbolum unctioe olei. 7. Apostoli non idem semper symbolum in sanationibus adhibuerunt: Leguntur enim usi aliquando solo verbo, aliquando impositione manuum, aliquando contactu, umbra, sudariis, semicinctis. 8. Marcus dicit: *Multos oleo ungebant.* Ipsius igitur mens, & sententia non est, quod neminem in primâ illa sua legatione non sanarint, nisi quem oleo unxerint. 9. Emissio Apostolorum est duplex: Particularis, & universalis: In illa, in qua sunt multa personalia, & temporalia mittebantur in solam Judæam, *Mar. 6.* Et de ea dicit, quod oleum adhibuerint; De hac dicit Christus *Mar. 16.* non tantum de Apostolis, sed & de iis, qui crediderint: *Super infirmos manus ponent.* 10. Nec propterea impositio manuum licet habeat verbum Christi, est propriè dictum Sacramentum, quia loquitur Christus de donis miraculorum, quæ temporalia fuerunt. 11. Non narrat Marcus, quod oleum illud debeat prius conceptis verbis esse exorcizatum & consecratum. 12. Nulla syllaba habetur de forma illa, quam Pontificii adhibent, apud Evangelistas. Quare Pontificia illa unctio in capite sexto Marci, nec institutionem, nec mandatum, nec promissionem, nec exemplum habet.

33. Posterius dictum ex Jacobo allegatum malè itidem, & ineptè Pontificii referunt ad suam Unctioem. 1. Mittimus, epistolam hanc non esse in Canone. 2. Nervum sui argumenti Pontificii incidunt asserentes agere Jacobum de eadem Unctioe, de qua Marcus capit. 6. Hæc enim unctio, quæ à Marco est descripta fuit miraculosa. Ergo & Unctio, quæ scripta est est à Jacobo. 3. Non dicit Apostolus, Unctioem illam esse Sacramentalem sed potius medicinalem, & miraculosam. 4. Agit non de ægotantibus in agone constitutis, & jam morti vicinis; Sed  
in gene

in genere decumbentibus, quia dicit *versic. 14. Infirmatur quis in vobis.*  
 5. Agit de corporali sanatione, idque arguit vocabulum *ἐγειρεν vers. 14.*  
*ἐγειρεν αὐτὸν ὁ κύριος*, eriget eum Dominus. Christus usurpat illud,  
 quando decumbentes, & lecto affixi, ita restituuntur, ut surgere, &  
 incedere possint, *Matth. 9. Mar. 1. & 9. Joh. 5.* Arguit idem vocabulum  
*ἰαθεῖτε*, quod de sanationibus sæpe usurpatur, notatque donum sana-  
 tionis, quod in primitivâ fuit Ecclesiâ, *1. Cor. 12.* Finis igitur Unctionis  
 Jacobæ fuit corporalis sanitas.

33. Nihil juvant Pontificios Apostoli verba: Deprecatio fidei  
 salvum faciet illum: Vocabulum enim *κωζεσθαι* sæpe usurpatum legitur  
 de corporalibus sanationibus, ut *Matth. 9. Mar. 5. & 6. Luc. 8. 1. Cor. 11.*  
 Sin de æternâ salute intelligas, certum est non unctioni oleicam ad-  
 scribi; Sed deprecationi fidei, quæ pro infirmantibus ad Deum facta,  
 & fusa impetrare illis potest fidem propriam, quâ justificentur, & sal-  
 ventur.

34. Non igitur facit locus Jacobi ad confirmandam unctio-  
 nem Pontificiam. Ad Syllogismum Pontificium respondemus. 1. Unctio-  
 nem Apostolicam habuisse verbum Dei, & promissionem, quatenus fuit externum symbolum doni sanationis. 2. Cessante hoc dono miraculoso, meritò etiam cessat hoc signum, seu externum symbolum, nimirum unctio olei. 3. In alium igitur finem & usum transferri non debet. Fieret enim illud absq; Dei mandato.

35. *Quæstio secunda: An Unctio Pontificia ab Evangelicis rectè intermittatur.*

36. Resp. Unctio alia est Pontificia, & alia Christiana: Illa rectè ab Evangelicis improbat (ut in præcedente quæstione ostendimus) & intermittitur: quia merè est idololatrica, magica, & continet nomen divini horrendum abusum.

37. Christiana unctio est, quando moribundus admonetur sui Baptismi, in quo à Deo Patre ex merâ misericordiâ propter dilectum filium est in gratiam, & heredem vitæ æternæ receptus, & Spiritu S. unctus, per quem est regeneratus, & renovatus. De hac unctio-  
 ne dicit Apostolus, *2. Cor. 1. 7. 21. 22. Qui unxit nos Deus est, qui etiam obsignavit nos deditque arrham Spiritus in cordibus nostris. Rom. 8. 7. 15. Non accepistis spiritum servitutis iterum ad timorem, sed accepistis*

pistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. *v. 26.* Spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris.

39. Ungantur igitur apud nos moribundi variis & dulcissimis promissionibus, Unctio contra mortem defumitur ex *2. Tim. 1. ver. 20.* Servator noster Jesus Christus mortem abolevit, vitam autem in lucem produxit, ac immortalitatem per Evangelium. Ex *Heb. 2. vers. 14.* Per mortem abolevit eum, qui mortis habet imperium, hoc est, diabolum. Ex *Phil. 1. v. 21.* Mihi vita Christus est, & mors lucrum. Ex *Rom. 14. v. 8.* Sive vivimus, Domino vivimus: Sive morimur, Domino morimur. Ex *Joh. 11. v. 25.* Dicit Jesus: Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet.

40. Unctio contra horrorem inferni petitur ex *Ose. 13. vers. 14.* De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. : Ero mors tua & mors, mortuus tuus ero inferne. Ex *Joh. 5. ver. 24.* Amen dico vobis, qui sermonem meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, sed transibit à morte in vitam, &c.

41. Quæstio tertia: Quid de aquâ lustrali seu benedictâ sit statuendum?

42. Resp. In omnibus Pontificiorum templis, in quibus celebrantur Missæ invenitur penes januam vas aqua repletum, & instrumentum asperforium, aqua illa nominatur ab iis lustralis, seu benedicta, & permixta est sale. Hæc aqua singulis diebus solis ante celebrationem Missæ debet exorcizari. Forma exorcizationis uti legitur in Pontif. exemp. ven. pag. 107. 108. & in aliis Pontificior. scriptis hæc est: Exorcizo te, creaturâ salis per Deum † vivum, per Deum † verum, per Deum † sanctum, per Deum, qui te per Eliseum Prophetam in aquam mitti iussit, ut sanaretur sterilitas aqua: ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium: Et sis omnibus te sumentibus sanitas animæ, & corporis, & effugiat, atque discedat ab eo loco, in quo aspersum fueris, omnis phantasia & nequitia, ac versutia diabolica fraudis: omnisq; spiritus immundus adjuratus, per eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem. Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, benedicere, & sanctificare tuâ pietate digneris: ut sit omnibus eam sumentibus, salus mentis, & corporis: Et quicquid ex eo tactum, vel respersum fuerit, careat omni immunditiâ,

ditia, omnique impugnatione spiritualis nequitia, per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & seculum per ignem Resp. Amen. Bellarminus scribit libr. 2. de Missa capit. 15. In Dominicis diebus ante initium solennis Missæ, Sacerdos aquam benedicit, ac deinde aspergit se, & Ministros, & altare, & populum: quæ aspersio est quadam expiatio & preparatio ad futurum sacrificium. Idem scribit libro. de extrem. unct. capit. 6. Multos sanctos usos esse aquæ benedictæ ad curandos morbos corporales. Costerus in libro de sodalit. B. Mar. virg. pag. 333. enumerat aquæ lustralis plurimas utilitates spirituales, & corporales.

43. Augustanæ verò confessionis Theologi aquâ illâ lustrali in Ecclesiis suis non utuntur. 1. Quia quicumque cultus religiosus caret fundamento Scripturæ, & originem suam habet partim ab ethnicis, partim ex ceremoniis judaicis, ille est superstitiosus, frustraneus & coram Deo abominabilis. Atqui usus aquæ lustralis caret fundamento Scripturæ. &c. Ergo. Consequentia Majoris patet ex *Matth. 15. versicul. 9.* Frustra me colunt docentes doctrinas, præcepta hominum. *Col. 2. versicul. 16.* Ne quis vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, aut novilunii, aut sabbatorum. *Gal. 5. versic. 1. 2.* In libertate, qua Christus vos liberavit, stete, & nactus jugo servitutis implicemini. Quod si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit. *1. Corinth. 7. versic. 23.* Pretio empti fuistis, nolite fieri servi hominum. *Eph. 4. v. 17.* Hoc dico & testor per Deum, ne post hac ambuletis, quemadmodum & reliquæ gentes ambulant in vanitate mentis suæ.

44. Minor suâ radiat luce: Cum enim Pontificii de suâ aquâ lustrali, ut ea exorcizatur, præparatur, & usurpatur, ne literam invenire possint in Scripturâ, idè referunt eam ad Traditiones Apostolicas nuspiam scriptas. Quod ejus usus fuerit apud Ethnicos, testatur *Macrobius libr. 3. Satur. C. 1.* constat, inquit, Diis superis sacra facturû corporis ablutione purgari: cum verò inferis litandum est, satisfactum videtur, si aspersio sola contingit. *Sozomenus dicit lib. 6. C. 6.* Valentinianus cum esset limen delubri transgressurus, & Sacerdos ritu Gentilitio virides olivæ ramusculos madefactos manu tenens, introentes illos aspergeret, gutta in suam vestem delapsa, ægré admodum, & graviter tulit. Christianus enim erat, & propterea Sacerdotem convi-

tius adori-

tiis adoritur. Idem habet Theodoretus lib. 3. cap. 15. *Aventinus scribit lib. 3. pag. 187.* Perinde ac nos, aquâ lustricâ in expiationibus usi sunt. *Et Virgilius canit lib. 6. Æneid.*

*Idem ter socios pura circumtulit unda  
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.*

45. Quod ejusdem aquæ usus fuerit apud Judæos testatur variæ ipsorum purificationes, *Levitic. 15. Numer. 19. Mar. 7. versic. 3. Johan. 2.*

46. 2. Non aqua lustralis, sed solus sanguis Jesu Christi emundat nos ab omni peccato. Isti igitur non absque insigni impietate vis & efficacia ea adscribitur. Certè aqua benedicta Levitarum non potuit purgare à peccatis, *Heb. 9. versic. 9. & seqq.* Ergo nec Pontificiorum.

47. Inquis, eadem ratione contra aquam Baptismi inferri posse. Si enim solus sanguis Christi emundat nos ab omni peccato. Ergo non aqua Baptismi. *Resp.* Aqua Baptismi non est simplex, sicut aqua lustralis, sed aqua cum verbo Dei conjuncta. 2. Aqua Baptismi omnem suam habet efficaciam à morte, & merito Christi, *Rom. 6. v. 3. Eph. 5. v. 25.*

48. 3. Ipsi Pontificii fatentur, aquam lustralem non infallibiliter operari, ut videre est apud Bellarminum *De Eccl. Triumph. lib. 3. cap. 7. Et de sacram. in gen. lib. 1. cap. 13.*

49. At Pontificii prævocant ad constitutionem Alexandri, quæ legitur in jure Can. Decret. ter. Part. de Consecrat. Dist. 3. Can. 20. *Aquam sale compersam populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur, & purificentur. Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum esse mandamus. Nam si cinis vitula sanguine aspersus populum sanctificabat, atq; mundabat multò magis aqua, sale aspersa, divinisque precibus sacrata populum sanctificat, atque mundat: Et si sale asperso per Heliseum Prophetam sterilitas aqua sanata est: quantò magis divinis precibus sacratus sal sterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos sanctificat, atq; mundat, & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & à phantasmatum versutiis homines defendit.*

50. *Resp.* 1. Veritati consentaneum est epistolam illam eo fine adscribi Alexandro, ut ob antiquitatem major authoritas aquæ lustrali concilietur, licet aliquot sæculis post ipsum sit conscripta. 2. Parùm author iste de religione Christiana intellexit, quia statutum suum

confirmat judaicâ aquâ lustrali, & salis Elisæi, cum tamen ceremoniæ judaicæ per Christum sint impletæ, & abrogatæ, & sal Elisæi ex 4. Reg. 3. v. 29. ineptè huc accommodetur: Est enim singulare, Propheticum, & miraculosum factum, quò Deus Doctrinam Prophetæ Elisæi confirmavit. Tentet Pontifex, & aliquot tonnas salis projiciat in mare, vel alios amares fontes, eosquè dulces efficiat. Non legitur Elisæus Salem exorcizasse, nequè eò est usus ad diabolos ejiciendos, & ad mundandum hominès à peccatis; sed ad aquam illam divinâ virtute dulcem reddendam. 3. Falsum est, cinerem vitulæ populum sanctificasse, ut patet ex Heb. 9. v. 9. & seqq. 4. Ubi legitur in Scripturâ, aquam lustralem habere eam virtutem, ut possit coercere, & expellere Diabolum? Diabolus Spiritus est. Coerceri igitur nequit rebus materialibus, & corporalibus: Ridet ejusmodi ineptias Job. 41. 5. Unde Pontifex eam habet potestatem, ut mandare possit? Apostolus Petrus scribit, 1. Epist. 5. v. 2. 3. Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum: neq; turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: Nequè ut dominantès in Cleris.

51. Quæstio quarta: An Ordo, seu ordinatio Pontificia sit Sacramentum propriè ita dictum?

52. Resp. Concilium Tridentinum Sess. 7. Can. 3. Si quis, inquit, dixerit, ordinem, sive sacram ordinationem non esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum Ecclesiasticarum imperitis: aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema sit. Et Can. 5. Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemendam, & perniciosam esse, similiter & alias ordinis ceremonias, anathema sit. Videatur etiam Bellarminus lib. de Sacram. ord. cap. 2. & seq. Eckius in Ench. p. 51. Consecratio Sacerdotis in Pontif. Rom. fol. 21. his traditur verbis: Pontifex cum oleo Catechumenorum ungit unicuiq; (ordinando) ambas manus simul junctas in modum crucis, producendo cum pollice suo dextro in dictum oleum intincto, duas lineas, videlicet, à pollice dextra manus usq; ad indicem sinistrum: & à pollice sinistro usq; ad indicem dextrum, uniendo mox totaliter palmas, dicens, dum quemlibet in ungit: consecrare, & sanctificare digneris, Domine manus istas per istam unctionem, & nostram benedictionem (Pontifex producit manu dextra signum crucis super manum illius, quem ordinar, & prosequitur) ut qu-

cunquo

*tunq; benedixerint, benedicantur: Et quæcunq; consecraverint, consecrentur, & sanctificentur in nomine Domini nostri Jesu Christi. Et quilibet ordinandus respondet, Amen. Tunc Pontifex claudit, seu injungit manus cuilibet successivè: quas sic consecratas aliquis ministrorum albo panniculo lineo simul, videlicet dextram super sinistram alligat: Et mox unusquisque ad ordinem suum redit: Et sic clausas, & alligatas manus tenet. Omnium manibus unctis, & consecratis, Pontifex manus lavat, & tergit: tum tradit cuilibet successivè calicem cum vino, & aqua, & patinam superpositam cum hostia, & ipsi illam accipiunt inter indices, & medios digitos, ac cuppam calicis, & patinam simul tangunt, Pontifice singulis dicente: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro defunctis in nomine Domini.*

53. Protestantium verò est sententia, si ordinatio intelligatur de ministerio verbi, & Sacramentorum, non gravatim ordinem se vocaturos Sacramentum in generali vocabuli hujus significatione, ut & Apologia Augustanæ confessionis sententiam hanc declaravit, Sed verè notavit Dn. Chemnitius in Concilio Tridentino (quod & ex Pontificiorum colligitur verbis) Pontificios non intelligere Sacramentum ordinis de ministerio verbi, & Sacramentorum, ut scriptura de iis agit; Sed de sacrificio pro vivis, & mortuis, per quod Sacerdotes impetrent vivis gratiam Dei, & omnia necessaria dona, mortuis verò liberationem è purgatorio. Deinde exterioribus signis & ritibus gratiam Dei alligant, finguntq; cui omnes ritus Pontificiæ ordinationis adhibiti non sunt, eum non posse peccata remittere; Qui verò ipsorum ritibus sit ordinatus, eum propter ritus illos habere perpetuò impressam ordinis gratiam, & Spiritum S. etiamsi animus ejus non sit exercere ministerium verbi, & Sacramentorum, Tertio Apostoli symbolum insufflationis usurpare noluerunt; At suffraganeus apud Pontificios insufflans in ordinatos, inquit, *Accipite Spiritum S.* Deniq; quid statuunt de Unctione ordinandi; ostensum est ex Concilio Tridentino.

54. Hanc igitur ordinationem nec fundamentum habere in Scriptura, necesse Sacramentum propriè ita dictum docent protestantes. Nam. Omne Sacramentum propriè ita dictum habet divinum mandatum, habet promissionem, & Scripturæ exēpla. Atqui quod ministri Ecclesiæ debeant hoc modo ordinari nimirum ut ipsorum manus inungantur oleo catechumenorum & hunc in finem, ut idonei reddantur ad sacrificandum pro

dum pro vivis, & mortuis, hac de re nullum habemus divinum mandatum, nullam promissionem, quod nimirum Deus mediante oleo ordinando suam velit conferre gratiam, eumq; ad sacrificandum aptum reddere.

55. 2. Omne Sacramentum habet authorem Deum, teste ipso Thomâ, *Sacramenta instituere ad excellentiam divina potestatis pertinere, ait.* Atqui ordinatio illa Pontificia non habet authorem Deum, sed inventa est primum trecentis annis post natum Christum à Sylvestro Pontifice, ut innuit, *Polydorus Virgilius lib. 5. cap. 3. Ergo.*

56. 3. Sacramenta non sunt alligata ad unum certum ordinem; sed sunt omnium Christianorum, quibus naturalis aliqua inhabilitas non obstat: credimus enim sanctorum communionem. Atqui paucissimi ordinantur ad Ministerium Ecclesiæ, Ergo.

57. 4. Per Sacramenta propriè confertur remissio peccatorum, & gratia Dei. Atqui per ritum ordinationis ea non confertur, nec obsignatur, neq; extat hac de re promissio. Ergo Judas habebat quidem gratiam ordinationis. Non autem habebat gratiam reconciliationis, seu remissionis peccatorum.

58. Oggerunt Pontificii ex 1. Tim. 4. Deum mediante manu impositione contulisse dona Spiritus S. Resp. 1. A scopo recedunt: Ostendere debebant, ubi Christus ministrorum consecrationem istis ceremoniis, quæ apud Pontificios sunt receptæ, & quidem eum in finem, quem ipsi respiciunt, instituerit, atq; quibus verbis promissionem gratiæ, & remissionem peccatorum istis ritibus alligavit. 3. Collatio donorum Spiritus S. non per se tribuitur ipsi manu impositioni, sed adjunctis precibus, & benedictioni, quæ nititur promissione divina. Nō igitur est irrita.

59. *Questio quinta. An consecratione Ministrorum imprimat characterem indelebilem?*

60. Resp. Fabulantur Pontificii mediante oleo imprimi indelebilem characterem. Sed verè dicunt Protestantes, impressionem illam characteris esse merum figmentum & inventum humanū. Nam oleum ejusmodi virtutem non habet à seipso; nec ex benedictione, quia illa est superstitiosa exorcizatio; neq; ex ordinatione divina, quia de eâ non mandatum, non promissionem, nec ullum exemplum habemus in Scriptura. Accedit, quod *Gabriel Biel Dist. 6. quest. 2. in 4. Sentent. statuat opinionis illius de characterem nec in scriptura, nec in scri-*

ptis vetustissimorum Patrum mentionem inveniri. Videantur hac de re plura in Disput. de Sacramentis in genere.

61. Quæstio sexta: Quid de tonsura Clericali sit statuendum?

62. Resp. Catechismus Romanus pag. 521. Incipiendum est, inquit, à prima tonsura, quam docere oportet, preparationem esse ad ordines accipiendos. Processus ipse describitur in Pontificali Romano Tit de Cleric. faciendo fol. 5. Incepto à psalmo, Pontifex cum forficibus incidit unicuique extremitates capillorum in quatuor locis, in fronte, in occipitio, & ad utramque aurem: Deinde in medio capitis tres crines capillorum, sive sincinos, & in bacile deponit, & quilibet, cum tonderetur, dicit: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui restitues hæreditatem mihi.

63. Protestantes docent, aliud esse tonsuram ipsam per se considerate, & aliud peculiarem ipsi sanctitatem adscribere, parum refert, si quis tondeatur, siue crines alat, modò omnia decenter in Ecclesiâ fiant; Si quis verò sanctitatē tonsuræ inesse opinatur, superstitiosus est.

64. 1. Deus verò non respicit nec curat ejusmodi externa, sed interiorum hominem, 1. Cor. 7. v. 19. 2. Originem suam habet ex superstitione & idololatria ethnica, Baruch. 6. v. 30. 3. Jehova igitur præcipit Ministris suis, ne caput suum tondeant, Ezech. 44. v. 20. Lev. 19. v. 27. cap. 21. v. 5. 4. Idem injungitur in concilio Carthaginensi 4. Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat.

65. Quæstio septima: Cur nequeant Ministri Evangelicorum vocationem, & ordinationem suam petere à Pontificiis, & eorum suffraganeis?

66. R. Non agimus hoc loco de ipsa Ministrorum vocatione, de qua diximus Disputatione 15. Neque de variis Pontificiorum ordinibus, de quibus egimus Disput. 16. Sed breviter ostendimus, non posse, Ministros Evangelicorum, quos Pontificii sarcasticè nominant prædicantes, suam petere vocationem & ordinationem à Pontificiis.

67. Vocabuli verò PRÆDICANTIUM nequaquam nos pudet. 1. Non nos pudet officii, quo Christus ipse est functus, nec appellatione, quâ semetipsum nominavit, Gen. 3. v. 15. Joh. 1. v. 18. Esai. 61. v. 1. Matt. 11. v. 5. Mar. 1. v. 14. 39. Luc. 2. v. 10. 2. Prædicantium officium à Christo ipso est institutum, Matt. 28. v. 19. Luc. 24. Joh. 20. 3. Non puduit hujus appellationis Johannem Baptistam nec Apostolum Paulum, 1. Tim. 2. v. 7. 2. Tim. 1. v. 11. Rom. 1. v. 15. 1. Cor. 1. v. 21.

68. Petere vocationem & ordinationem nostram nequimus à Pontificiis. 1. Dissentim⁹ ab ipsis in doctrinâ, & in fudamento fidei. E. publicâ cōfess-

sione debemus nos ab iis separare, secundum mandatum Dei, *Matth. 15. v. 14. Rom. 16. v. 17. 2. Cor. 6. v. 14. 1. Tim. 6. v. 5. Apoc. 18. v. 4.* 2. Christus, Johannes Evangelista, & reliqui Apostoli vocati, & ordinati non sunt à summo Sacerdote, & toto Synedrio.

69. 3. Improbamus ex scripturâ Missam Pontificiam, & sacrificia pro vivis, & mortuis ex Purgatorio liberandis offerenda. At eis qui apud Pontificios ordinantur, ejusmodi peragere injungitur, idq; sanctè polliceri tenentur. Nequaquam igitur salvâ conscientia petere possumus ordinationem à Pontificijs.

70. 4. Taceo ineptas Pontificiorum ceremonias de Uctione, Tonsura, &c. 5. Prætereo ea, quæ de caractere dicit Scriptura, *Apoc. 13. v. 16. C. 14. v. 9. C. 16. v. 2. 6.* Et num Pontificii admittere Evangelicos possent absque doctrinæ Pontificiæ approbatione, & veritatis revocatione?

71. Quos sæpe Pontificii admittant, ostendit praxis, quæ de restat<sup>o</sup> Imperii Romani sunt conquesti in comitiis Norinbergenfibus Anno 1523. Quod Archiepiscopi, Episcopi, & eorum suffecti (quos suffraganeos vocent) sæpe numero plurimos indoctos, idiotas, inhabiles, vilesq; ac ludicras personas ad Sacerdotii functionem ordinant: quòd q; à quibusdam Episcopis sex corruptis testibus ad hoc adhibitis, dignè ne sit sacerdotii munere, vel minus, ordinandus, fides adhibeatur. &c.

72. Sic concludimus: Si Pontificii Augustanæ confessionis Theologos vocaverint, missâ suâ ordinatione, ad purè docendum verbum, & Sacramenta secundum ordinationem divinam administranda, rem gratam Deo præstabunt, & rectius facient, quam si miseris suis subditos ad idololatriam cogunt.

Finis Disputationis XXXVI.



DISPUTATIO XXXVII.

QUE EST DE MATRIMONIO, PRIMA.

Respond. Boëtio Petri Dithmarso.

THESIS I.

SUPEREST ex numero Sacramentorum Pontificiorum Conjugium: De hoc igitur agemus, & errores Pontificiorum ostendemus atque examinabimus.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Constituitur matrimonium certis quasi gradibus: Initium enim fit à sponsalibus, & nuptiis absolvitur quibus matrimonii dignitas commendatur. Cum enim conjugalis obligatio sit res magni momenti, opus omninò est longiore temporis spatio, ad eam absolvendam. Imò inter sponsalia & nuptias tempus aliquot interjicitur, ut si quid forsan dari possit, quod conjugii consummationem possit impedire tempestivè satis animadvertatur, & indicetur.

3. Sponsalia sunt mentio & promissio futurarum nuptiarum. Vel: Sponsalia sunt mutua repromissio futurarum nuptiarum, ritè inter eos, quibus jure licet, facta.

4. Dicuntur sponsalia à spondendo, unde & sponsi sponsæq; est appellatio. Spondere verò venit à sponte, ut spondeo sit, quasi sponte do, vel promitto, Varro de ling. lat. cap. 4. Inde omnis stipulatio & promissio dicitur sponsio. In more enim positum fuit veteribus Romanis, ut sibi futuram conjugem stipularentur, eamque sponderet is, in cujus erat potestate.

5. Sponsalia sunt duplicia: Alia enim dicuntur de futuro, & alia de præsentì. Sponsalia de futuro sunt tractatus de futuris in posterum nuptiis, ac veluti pactum, & conventio futuri contractus. V. C. Si parentes aliquid constituunt de suscecuris liberorum nuptiis: vel impuberes inter se contrahunt, aut arthæ solùm dantur, aut verba in futurum tempus, vel sub conditione concipiuntur.

R III

6. Spon-

6. *Sponsalia de presenti sunt tractatus dispositivus de conjugio presenti, qui conjugii vim habet.*

7. Sponsalia igitur de presenti, quia sunt pactioes conjugales, efficacem inducunt obligationem, & nexum, atq; vinculum conjugale, faciuntque matrimonium initiatum, & ratum quoad propositum, & cohabitationem conjugalem à Deo ipso junguntur, & uniuntur; Commixtio verò seu copula carnalis facit conjugium consummatum. Talis igitur desponsata in Scripturâ V. & N. Testamenti pro uxore habetur, ut *Gen. 19. v. 14. Matth. 1. v. 10.*

8. In consideratione distinctionis sponsalium attendendum est non tam ad verba, quæ variè possunt accommodari, quàm ad circumstantias personarum & rerum.

9. Sponsalium solemnitati adhibentur arrhæ tanquam pignora. Sic Eleazar, servus Abrahami senior Rebeccam Isaac desponsatam exornat muneribus, *Gen. 24. v. 53.*

10. Sponsalia consequuntur nuptiæ, quæ legitimorum sponsalium solennis sunt benedictio & consummatio.

11. Nuptiæ, annotante Varrone dicuntur à nuptu, h. e. ab operatione & velamento: Nubere enim apud antiquos significat operare, & tegere. Extat hac de re insignis locus, *Gen. 24. v. 65.* Rebecca enim conspecto Isaac dependit de Camelo, & ait ad puerum: *Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est Dominus meus.* At illa tollens citò peplum suum operuit se.

12. Nuptiæ & matrimonium sæpe ut diversa ponuntur: Nuptiarum enim nomen potius denotat solennitatem, celebritatemque contractus conjugal, quàm ipsum conjugium.

13. Nuptiis celebratis, matrimonium dicitur perfectum. Est verò conjugium legitima, & indissolubilis maris, & scemina conjunctio ad mutuum adjutorium, & generis humani propagationem, ut omnes vaga libidines vitentur, Deoq; in castitate serviat.

14. Conjugii nomen huic copulationi tribuitur notatione sumptâ à communi jugo, quo inter se junguntur, & uniuntur maritus & uxor, & in quo per totum vitæ spatium labores, & onera domestica conjunctim ferre tenentur.

15. Connubium dicitur à ritu sponsæ velantis faciem suam, in domum sponsi quando erat ducenda.

16. *Matrimonium* dicitur à fine conjugii. Propter hunc enim finem nubere etiam debent virgines, ut matres fiant.

17. Generis loco in definitione ponitur *conjunctio*, ex *Gen. 2. v. 24.* Conjugi enim eos oportet, qui sub uno quasi jugo vivere decreverunt: Neque id tantum consensu, verum etiam copulâ carnali intercedente: Unde non immeritò copulatio appellari potest.

18. *Conjunctio* hæc est indissolubilis, quia homo derelinquet patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, *Gen. 2. v. 24.*

19. Efficiens causa prima, seu author est Deus, *Gen. 2. Matth. 19. v. 6.* Et Isaaci & Rebeccæ conjugium Deus singulari modo providit, *Gen. 24.* Et Saram Raguellis filiam Tobix reservavit, *Tob. 7.*

20. *Causa efficiens propinqua* est legitimus, & liberrimus tum parentum, tum viri, & mulieris consensus. Vulgò dicitur: *Consensus facit matrimonium, & non concubitus.*

21. *Causa materialis* matrimonii est unus mas, & una fœmina: Quia qui fecit ab initio, masculum & fœminam fecit eos, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam, *Matt. 19. v. 4.*

22. *Causa formalis* est ipsa obligatio orta ex libera consensione in conjunctionem unius carnis.

23. Fines conjugii potissimùm tres sunt: primus est sociæ adeptio, ut homo habeat in hoc mundo vitæ sociam, & suavem laborum, precum, curarum, & ærumnarum adjutricem. Deus Adamo conjugem efformaturus, & adjuncturus, inquit: *Non est bonum hominem, esse solum, faciamus ei adjutorium, quod sit circa ipsum, Gen. 2. v. 18.* Unde etiam fœmina in viri domum deducitur, ut cohabitent, *1. Pet. 3. v. 7.* Et non ab invicem discedant, *1. Cor. 7. v. 12.*

24. Secundus finis est generis humani propagatio, multiplicatio & conservatio, & per ministerium Evangelii, & Sacramentorum ampla, & copiosa Ecclesiæ collectio, quæ & in hac vitâ, & in totâ æternitate Deum rectè agnoscat, & celebret. Quo respectu Jehova dicit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram, Gen. 1. v. 28.*

25. Tertius finis est vagarum libidinum & uisionis fuga, ut videlicet conjugium sit remedium adversus promiscuas commixtiones, & contaminationes corporum. Apostolus præcipit, ut vitandæ fornicationis causa quilibet suam habeat uxorem, & quilibet suum habeat

maritum 1. Cor. 7. v. 2. Præclare dicit *Augustinus de Gen. ad lit. cap. 7.* Utriusque; sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis rectè excipitur honestate nuptiarum ut quod sanis possit esse officium, sit ægrotis remedium. Et *Gregorius 12. Moral.* Qui tentationum, inquit, procellas cum difficultate tolerant, conjugii portum petant: Melius enim est nubere quam uri.

## SENTENTIA PONTIFICIORVM

26. Matrimonium inter fideles contractum est sacramentum propriè ita dictum *Bellarminus lib. de Matrim. cap. 2. Eckius in Ench. pag. 70. Et in Homil. p. 215.*

27. Quæstiones matrimoniales tantum ad Ecclesiasticum iudicium pertinent, & non à politico Magistratu sunt tractandæ, *Bellarminus in lib. de Matrim. c. 21.*

28. Consensus parentum requiritur ad matrimonium non de necessitate, sed tantum de honestate, *Bellarminus lib. de Mat. cap. 19.*

29. Polygamia multarum uxorum successivè, sive secundæ nuptiæ non sunt benedicendæ, & polygami ad officium Ecclesiasticum non sunt admittendi, *Bellarminus cap. 19.*

## STATUS CONTROVERSIAE.

30. Quare controversias in loco de Matrimonio, & quidem in prima hac disputatione, notamus de Matrimonii essentiâ, & naturâ: De iudice controversiarum matrimonialium: De consensu parentum. De Poligamiâ multarum uxorum successivè:

31. Quæstio prima: *An matrimonium sit sacramentum verè, & propriè ita dictum?*

32. Resp. *Concilii Tridentini Sessio. 8. can. 1. decretum hoc est:* Si quis dixerit, matrimonium non esse verè, & propriè unum ex septem legis Evangelicæ sacramentis, à Christo Domino institutum; sed ab hominibus in Ecclesiam inductum neque gratiam conferre, anathema sit. *Bellarminus lib. de Mat. cap. 2.* Matrimonium inquit, veri nominis sacramentum est. Idem habet *Eckius in Enchirid. Tit. 11. pag. 70.* Matrimonium, inquit, sacramentum esse ostenditur. Et *pag. 71.* Matrimonium est magnum sacramentum in Christo & Ecclesiâ

clesiã. Et in Homilis, homil. 69. In ultimum sacramentorum locum servavimus nobis, hoc ipsum matrimonii sacramentum. Idem pluribus proponit *Costerus in Enchir. pag. 137. & seqq.* Judæorum, inquit, & Gentilium matrimonia, tametsi divino mandato dissolvi non debuerint, non habuerunt tamen sacramenti rationem, quæ in Christianorum matrimonio agnoscitur

33. Protestantes verò profitentur, & docent, matrimonio tribui posse appellationem sacramenti respectu dignitatis, & sanctitatis conjugii: Idèd in Apologiã confessionis Wirtenbergensis dicitur: *Quia conjugium est sanctum vitæ genus divinitus institutum, & commendatum, libenter ei tribuimus nomen sacramenti.* Sed hoc modo reliqua vitæ genera, in quibus pii non ita versantur, ut Ethnici, possent nominari sacramenta, ut agricultura, pecuaria, &c.

34. Hoc verò quæritur: Num conjugium, præter civilem contractum viri, & femina ad mutuum adiutorium, & sobolis generationem institutum, sit etiam sacramentum, seu signum & symbolum externum religionis, cui sit annexa promissio gratiæ justificantis, idque ex institutione divina? Nos id negamus. Pontificii affirmant. Scribit enim *Bellarminus lib. de sacram. cap. 1.* Certè Lutherani; & Calvinistæ, cum quibus potissimum agimus, non negant Sacramenta esse novæ Legis proprie dicta, ubi tria, illa inveniuntur; Symbolum externum, promissio gratiæ, & mandatum sive institutio divina. Et Paulò post: Nostri temporis hæretici non negant, matrimonium esse licitum, & à Deo vero institutum, sed negant esse symbolum, cui sit annexa promissio gratiæ justificantis.

35. Negationis nostræ argumentum confirmationis primum hoc est: Illud fide capimus, quod fidei norma, scriptura sacra tradit; Et quod ea non habet, illud in fidei Articulis refutat. Atqui conjugium esse sacramentum habens promissionem gratiæ justificantis seu reconciliationis & remissionis peccatorum ex institutione divinâ, id scriptura fidei norma non tradit. Ergo.

36. *Secundum*: Nullum sacramentum utrique testamento est commune. Nam V. & N. Testamentum distinguuntur annexis, & suis cuique propriis sacramentis. Atqui conjugium utrique Testamento est commune. Ergo. vel: Conjugium fuit ab initio mundi, etiam apud infideles. Ergo non est sacramentum N. Testamenti, & solius Ecclesiæ.

37. *Tertium*: Ex ipso conjugio homines nec meliores, nec deteriores per se evadunt: Pietas enim & sanctitas non est posita in statu & conditione, sed tota in fide, & in timore Dei. Ergo conjugium per se non est medium applicationis gratiæ Dei, & remissionis peccatorum, nec propriè dictum Sacramentum.

38. *Quartum*: Sacramenta sunt solius Ecclesiæ propria. Atqui conjugium non est solius Ecclesiæ proprium: Est enim conjugium legitimum etiam inter gentes infideles. Ergo.

39. *Quintum*: Omne Sacramentum habet externum elementum & verbum mandati atque promissionis. Atqui Conjugium illud non habet. Ergo &c.

40. *Sextum*: Nullum Sacramentum propriè ita dictum est immundities, & pollutio. Atqui Pontificiis conjugium est immundities, & pollutio. Nam ad conjugium accommodant illud Apostoli, *Rom. 8. v. 8.* Qui in carne sunt Deo placere non possunt. Et sacerdotibus conjugium interdicitur ob hæc testimonia Scripturæ, *Levit. 20. v. 2.* Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. *Esa. 52. v. 11.* Mundamini, qui fertis vasa Domini. Ergo &c.

41. *Septimum*: Nullum Sacramentum cum alio Sacramento pugnat. Atqui secundum Pontificios quoddam Sacramentum, ut ordo cum conjugio pugnat: Siquidem cum hoc consistere nequit. Ergo.

42. *Octavum*: A Sacramento nemo, qui ejus est capax, debet simpliciter arceri. Atqui à conjugio apud Pontificios simpliciter arcentur clerici, quos sic vocant, licet ejus sint capaces, & ad illud idonei à Deo creati. Ergo &c.

43. Principale quod contrà obtendunt Pontificii argumentum, petunt ex *Eph. 5. v. 31. 32.* Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam: Et adhaerebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesiâ. Hinc inferunt Conjugium propriè dictum esse Sacramentum.

44. *Resp. 1.* Apostolus usus est appellatione Mysterii. Appellatio verò hæc generalis est, & diffundit se ad res omnes, quæ captum nostrum transcendunt, vel naturâ notæ non sunt. Atque Apostolus in hac eadem Epistolâ usus est de Gentium vocatione. Decepti igitur sunt Papistæ vel ambigua nominis significatione, vel linguæ Græcæ ignorantia. 2. Subjungit Apostolus correctionem, vel limitationem

tionem: Ego autem dico in Christo & Ecclesiâ. Ergo mysticam intelligit conjunctionem, quæ est inter Christum & Ecclesiam, & verè dicitur mysterium. Manifestissimâ igitur determinatione restringit ad conjunctionem salvatoris, & sponsæ Ecclesiæ, nequaquam verò ad externam conjunctionem maris & fœminæ.

45. Excipit Bellarminus cap. 2. tripliciter: 1. Cum Apostolus ait: *Sacramentum hoc magnum est*, illud pronomen, *HOC*, referrî debet necessariò ad id, quod proxime præcessit: Est enim demonstrativum ejus rei, de quâ agitur. At proxime illud præcessit: *Relinquet homo patrem & matrem, & adhaereat uxori, & sint duo in carne una*; magnum est, quia Christi, & Ecclesiæ conjugium representat. 2. Præterea, inquit, idem colligitur ex argumento totius illius capituli. Apostolus enim hortatur conjuges ad mutuam benevolentiam, & inter alia argumenta hoc, ut potissimum adducit, quod ipsorum conjugium non sit res levis, & contemnenda, sed mysterium magnum includat, quod ad Christum & Ecclesiam referatur. Quod si juxta adversarios, totum mysterium in Christo & Ecclesiâ constituatur, ad matrimonium autem nihil pertineat; tota Pauli argumentatio concidit, nec facile apparebit, quorsum pertineat illa commemoratio conjunctionis Christi & Ecclesiæ, in extremo illo capite posita. 3. Paulus græcè non dixit, ἐν Χριστῷ, καὶ ἐκκλησίᾳ, sed εἰς Χριστὸν, καὶ εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Quibus verbis apertè indicat, Christum & Ecclesiam esse terminum, ut sic loquamur, illius mysterii, seu mystici signi, & proinde mysterium esse in conjugio, sed terminari ac referri mysterii hujus significationem ad Christum, & ad Ecclesiam.

46. Resp. 1. Pugnat Bellarminus absque adversario: Nam mysterium esse in conjugio, quo adumbratur conjunctio Christi & Ecclesiæ, docemus & profiteamur. Sed non sequitur conjugium propterea propriè dictum esse Sacramentum. Non omne enim mysterium est propriè Sacramentum, cum illud hoc sit latius. 2. Cui adimitur signatum, ei non statim adimitur conditio signi: Mysterium, de quo agit Apostolus est quidem in Christi, & Ecclesiæ conjunctione, sed ejus adumbratio est in conjugio. 3. Ex iisdem ad tertiam respondendum est exceptionem, cujus etiam propositionis connexio laborat: Nam εἰς pro ἐν sæpe usurpatum legitur, ut *Matth. 2. v. 23, Marc. 1. v. 9. cap. 2. v. 1.*

47. Quæstio secunda: Num quæstiones matrimoniales tantum ad Ecclesiasticum judicium pertineant, & non simul à politico Magistratu sine tractanda?

48. Resp.

48. Reſp. Concilium Tridentinum Seſſ. 24. Can. 12. definit. *Si quis dixerit, cauſas matrimoniales non ſpectare ad Iudices Eccleſiaſticos, anathema ſit.* Bellarminus lib. de Mat. cap. 32. reſpondet per diſtinctionem cauſarum matrimonialium: *Quaedam, inquit, ſunt omnino politicae, ut de dotibus, de ſucceſſionibus, de hereditatibus &c.* Et hæc pertinent ſimpliciter ad politicum Magiſtratum. *Quaedam ſunt omnino ſpirituales, vel de partibus ſacramenti, de benedictione ſacerdotali, &c.* Hæc pertinent ad ſolam Eccleſiam. *Quaedam partim ſunt politica partim ſpirituales, ut de gradibus cognationis, de divortijs, de impedimentis, & alijs, quæ ad ipſum contractum matrimonij pertinent: quatenus enim contractus ille naturalis eſt, materia eſt politica; quatenus idem contractus eſt fundamentum ſacramenti, & res conſcientiæ, ſpirituale eſt.* Hæc ad politicum Magiſtratum pertinere poſſunt, ſed cum ſubordinatione ad Eccleſiaſticum, ſimpliciter autem ad Principem Eccleſiaſticum pertinent.

49. Ut verò ordine ad dubia, quæ de hac quaſtione moveri ſolent, reſpondeamus, propoſitiones duas de ea proponemus. Sit igitur Propoſitio prima: *Aliquem controverſiarum matrimonialium oportet eſſe Iudicem.* Nam 1. Nemo debet nec poteſt eſſe iudex in propriâ cauſa. 2. Controverſia igitur matrimonialis deferenda eſt ad competentem iudicem, Deut. 22. verſ. 13. 14. 15. Si duxerit vir uxorem, & poſtea odio habuerit eam, quaſeritque occaſiones, quibus dimittat eam, obijciens nomen ei peſſimum, & dixerit uxorem hanc accepi, & ingreſſus ad eam non inveni virginem. Tollent eam pater, & mater ejus, & ferent ſecum ſigna virginitatis ejus ad ſeniores urbis, qui in porta ſunt. 3. Ad Chriſtum deferitur quaſtio matrimonialis decideada, Matth. 5. 19. & Hanc à ſe non rejicit, ut cauſam dividendæ hereditatis, Luc. 12. Sed ex verbo Dei oſtendit: Similiter Apoſtolus, 1. Cor. 7.

50. Objicis, Abrahamum, inquiens, eſeciſſe Hagarum privato arbitrio ſine iudice, Gen. 21. v. 14. Reſp. Quicquid hac in re Abrahamus fecit, illud fecit juffu, & voluntate Dei Gen. 21. v. 12.

51. Inſtas, urgesque exemplum Judæorum, qui ſuis uxoribus libellum dare repudij potuerunt, abſque cauſa apud Iudicem cognitione Dan. 24. v. 1. Ergo multò magis idem poterunt Chriſtiani, qui minus legum jugo ſunt onerandi, Act. 15. v. 10. Reſp. A Judæis ad Chriſtianos argumentari non licet: Illis enim propter duritiem ſpeciale indultum, ut quavis de cauſa divortium facere poſſent, erat conceſſum; his non item.

52. Denique inquis, conjugium solo partium consensu legitime contrahi. Earundem igitur mutuo consensu idem dissolvi. Resp. Conjuges conjunguntur, & ligantur vinculo Dei, Matth. 19. v. 16. Dissolvuntur igitur consensu inprimis Dei: Iste verò cognoscitur ex scripturâ, quæ est vox Dei, & ex iudice, qui loco Dei sedet.

53. Propositio secunda: Iudex causarum & controversiarum matrimonialium non est solum Ministerium Ecclesiasticum, nec solus Magistratus politicus; Sed ex utroque mixtus.

54. Probamus sententiam hanc 6. à norma Matrimonii in Ecclesia, quæ est verbum Dei: Cujus est agere de norma causarum matrimonialium, ejus etiam est judicare ex ipsâ norma de ipsis causis matrimonialibus. Atqui Theologi est agere de norma causarum matrimonialium, quæ in Ecclesiâ est verbum Dei. Ergo ejusdem etiam est judicare de causis matrimonialibus: Et per consequens audiendi non sunt illi politici, qui vociferantur, Theologos de causis matrimonialibus judicantes rem alienam agere, & immiscere se in ea, quæ ad suum forum non pertineant. Nec audiendi sunt elati Pontificii, qui causas matrimoniales ad politici magistratus judiciû non pertinere scribunt. Quando n. ad processû pervenitur, quis de iis ad illum pertinentibus judicabit? annon politici? Quare quæstiones illæ ab utrisq; conjunctim sunt judicandæ, idq; observatur in bene constitutis consistoriis.

55. 2. *Ab rebus conscientia.* Quæcunque controversiæ continent res conscientia, illæ non solo à Magistratu politico; Sed ab animarum Pastoribus simul sunt judicandæ. Atqui controversiæ matrimoniales continent res conscientia. Ergo.

56. 3. *Ab exemplo Christi.* Christus enim causam dividendæ hereditatis prorsus à se rejiciens, Luc. 12. quæstionem de divortii non similiter rejicit, sed decidit Matt. 19. 4. *Ab exemplo Apostoli Pauli:* Ipse enim de causis matrimonialibus 1. Cor. 7. non remittit consulentes ad aliud forum, nec totum negotium rejicit ad Magistratum politicum; Sed conscientias ex verbo Dei informat: Quo ipso docet, quæstiones matrimoniales ad Pastores Ecclesiæ tanquam ad competentes iudices etiam rectè deferri. Ambrosius igitur respondet in quæstione matrimoniali de gradibus prohibitis, lib. 8. Epist. 66.

57. 4. *Ab officio Magistratus politici:* Cujus est leges ferre, ejusdem est de legibus latis judicare. Atqui Magistratus politici est leges

ferre, processus, & aliorum quæ negotia matrimonialia concernunt curam gerere: Ergo ejusdem est de illis judicare. Theodosius igitur Imperator, non Episcopi, tulit Legem conjugia consobriaorum prohibentem, *Augustinus de civit. Dei lib. 15. cap. 16. Ambrosius Epist. 66.* Concilium Milevitanum judicat, sibi opus esse ad statutum de divortii lege imperiali. Quare causæ matrimoniales judicari debent conjunctim à ministerio Ecclesiastico, & à Magistratu politico & utriusque fieri debet conjunctio, non distractio. Itaque abominabile est factum Pontificis, & Episcoporum, qui excluso etiam Christiano Magistratu causas matrimoniales simpliciter ad se rapuerunt.

58. *Excipit Bellarminus dicens, Magistratum politicum, posse quidem de impedimentis matrimonii legem ferre, sed cum subordinatione ad Magistratum Ecclesiasticum.* Resp. laborat exceptio hæc petitione principii: Tantum enim abest, ut Ecclesiasticus dominum habeat supra Magistratum politicum, ut ne qui potestas jurisdictionis ipsi competat, Christus dicit, *Matth. 20. vers. 25. 26. Luc. 22. vers. 25. 26.* Reges Gentium dominantur: Et quidem potestatem habent super eos, benfici vocantur. Vos autem non sic. Apostolus Petrus dicit *1. Ep. 5. vers. 23.* pascite qui in vobis est gregem Dei, non dominantes in Cleris.

59. *At Bellarminus cap. 32. causas illas matrimoniales simpliciter ad Magistratum Ecclesiasticum pertinere tribus evincere conatur rationibus. Prima hac est: De sacramentis judicare ad Ecclesiam spectat: Atqui Matrimonium est sacramentum: Et judicare, an aliquis contractus matrimonii sit legitimus, est judicare, an ille contractus sit sacramentum.* Ergo.

60. Resp. Minorem falsam esse in prima quaestione ostendimus: Matrimonium enim proprie dictum esse sacramentum, falsum est.

61. Ratio secunda Bellarmini hæc est: *Matrimonium est res conscientia. Ergo de ejus controversiis pastores animarum debent judicare.*

62. Resp. Sano sensu totum hoc concedi potest argumentum: Non enim negatur à nobis, quod Pastores animarum judicare debeant de negotiis matrimonialibus, sed non debent sibi soli iudicium de illis rapere. Quæstiones enim illæ cum sunt mixtæ judicari debent à Magistratu politico, & Ecclesiastico simul

63. Rationem tertiam petit à praxi Ecclesiæ: Nam Christus, Apostolus Paulus, & Pontifices de negotiis matrimonialibus iudicârunt. Resp. 1. Iudicârunt quidem de iis sed non excluso magistratu politico. 2. Tyrannis Pontificum coërcenda omninò est, & non commendanda.

64. Quæstio tertia: An consensus parentum ad conjugium ineundum requiratur non tantùm de honestate, sed etiam de necessitate?

65. Resp. Consensum liberorum ad ipsum matrimonium ineundum requiri, hiis temporibus extra dubium est: B. Lutherus Tom. 5. Jen. pag. 252. docet, non frustra exemplum Rebeccæ, quæ Gen. 24. interrogatur, an nubere velit Isaac, à Spiritu S. annotatum esse; Sed hoc doceri liberos ad conjugium non esse cogendos. Conjuges enim se invicem ament, Col. 3. 1. Pet. 3. At qualitatem hanc infundere nequeunt parentes liberis, ut hanc, vel illam personam conjugali amore diligant. Ambrosius quidem lib. 1. de Abrahamo cap. 9. sponsalia, inquit, iudicium, spectant parentum. Non enim est virginalis pudoris, eligere maritum. Argumenti tertii loco adducit exemplum Rebecca, quæ non consulitur de sponsalibus, sed jam desponsata viro de profektionis die. Sed errorem istum facilimè refutabit, qui cap. Gen. 24. vel inspicit: Nam Rebecca non abfuit cum Procurator Abrahami itineris sui causam exponeret, & virginem hanc Domino suo Isaac in uxorem peteret; Sed coram astitit, in patris & matris promissionem interrogata consensus eamque munerum acceptione comprobavit, consensusque suum dedit.

66. Pontificii contrà statuunt, liberorum consensus ad conjugium ineundum sufficere: Si verò Parentum consensus interdum adhibeatur, id fieri non de necessitate, sed de honestate. Bellarminus lib. de Matr. cap. 19. scribit: *Filiorum consensus etiam si solus sit, ad matrimonium firmum, ac ratum efficiendum sufficit.*

67. Protestantes verò docent, ut legitimo modo matrimonium contrahatur consensus requiri parentum, & eorum, qui parentum sunt loco,

68. Assertionem hanc confirmamus, ex quarto præcepto: Parentibus enim debitus honor, & obedientia est præstanda, & quidem de necessitate in casibus quibusvis legitimis, Apostolus dicit Col. 3. v. 20. Filii, obedite parentibus per omnia: Hoc enim placitum est Domino. Ergo de necessitate eadem illis est præstanda in conjugio contrahendo, si modò illud debet esse salutare, & Deo probatum: Et per consequens sine parentum consensu illud non debet contrahi.

69. 2. Ex loco Exod. 24. v. 16. Non accipies uxorem de filiabus Canaanorum filiis tuis. Et Deut. 7. v. 3. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo. Si igitur parentes filiis suis accipere debent uxores. Ergo multò magis requiritur, ut in illud consentiant.

70. 3. Ex Loco Jer. 29. v. 6. Accipite uxores, & generate filios, & filias, & date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris. 1. Cor. 7. v. 38. Qui in matrimonio jungit virginem suam, benefacit. Præcipitur in hisce locis parentibus, ut filias suas elocent, & dent viris. Ergo à filiabus requiritur, ut absque parentum consensu matrimonium non ineant.

71. 4. Ex num. 30. v. 4. 5. 6. Mulier si quippiam voverit, aut se constrinxerit juramento, qua est in domo patris sui, & in aetate adhuc puellari. Si cognoverit Pater, & statim ut audierit, contradixerit: & vota, & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eò quòd contradixerit Pater. Qui igitur potest reddere irritum votum factum Deo, ille multò magis potest irritare promissionem de conjugio factam homini. Atqui illud potest filix pater. Ergo multò magis hoc.

72. 5. Ab exemplorum inductione. Nam ipse Deus Patris officio functus Evam Adamo, primo homini immediatè copulavit. Subsequentibus temporibus Deus virum uxori conjungit non quidem immediatè, sed mediatè per parentes in quarto præcepto designatos. Abrahamus igitur potestate patriâ uxorem filio suo accepit, & nuptias procuravit: Hagar filio suo Ismaëli: Parentes Simfonis filio suo Simfoni. Quicumque igitur hoc medium negligit, Dei ordinationem violat, nec potest statuere conjugium suum esse divinam, & legitimam copulationem.

73. 6. Ex lege Justinianè à Just. lib. 1. Tit. 10. Justas nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt: masculi quidem puberes, fœminæ autem viripotentes, sive patres familiarum sint, sive filii familiarum, dum tamen, si filii familiarum sint, consen-

consensum habeant parentum, quorum sunt in potestate. Nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio suadet: in tantum ut iussus parentis precedere debeat. Itaque nuptiæ citra consensum parentum apparatus non servant, quod leges præscribunt. Ergo sunt illegitimæ.

74. Ne dixeris cum Bellarmino, leges debere imitari sacros canones. Sacros verò canones per generale concilium Tridenti definivisse, matrimonium in vitis parentibus contractum, modò ne sit clandestinum, ratum esse. Ergò leges contrarium desinientes pro abrogatis habendas esse. Nam. 1. Canones alii sunt verè facti, quos imitari debent legumlatores; Alii apparenter sunt tales. 2. Quæ sit canonum conciliabuli Tridentini sanctitas accuratissimè, & eruditissimè ostendit Dn. Chemnitius. 3. B. Lutherus docet Tom. 5. Jen. p. 257. submissionem illam Magistratus politici esse coactivam, seu violentam, esse contra Deum, & perniciosam.

75. 7. Ex Jure Canonico: *Causa 32. quest. 2. can. 13.* legitur illud Ambrosii, quod in præcedentibus allegavimus, & ad quod, si simpliciter accipiatur respondimus: Honorantur parentes Rebecca muneribus, consulitur puella non de sponsalibus (illa enim judicium expectat parentum: Non est enim virginalis pudoris eligere maritum) sed jam desponsata viro de professionis consulitur die. *Causa 30. quest. 5. Can. 4.* Qualis debeat uxor esse, quæ habenda est secundum legem, virgo casta, & desponsata in virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita. *Causa 32. question. 2. Can. 16.* Similis conditio & de virginibus habeatur: nec extra voluntatem parentum, vel suam cogantur maritos accipere. *Causa 36. question. 1. Can. 3.* Si, quæ rapitur, patrem habere constitit, & puella raptori consenserit, potestati patris excusata reddatur, & raptor patri superioris conditionis satisfactione teneatur obnoxius. *Causa 30. quest. 5. Can. 3.* Post sponsalia, quæ futurarum sunt nuptiarum promissa, fœdera quoque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur.

76. 8. Ex lege naturæ: Lex naturæ est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, *Matth. 7. vers. 12.* Certum verò est liberos agrè laturos, si ex se procreati sine suo consensu matrimonium contrahant. Ergo quod tibi fieri, & evenire nolint, parentibus ne faciant. Imò lex naturæ præcipit, ut liberi parentibus obtemperent, & nihil sine ipsorum, à quibus tãto labore, ad illam usq; ætatem sunt educati, consensu faciant.

77. 5. Ex Ethnicorum historiis, & scriptis, cujusmodi leguntur apud Tertullianum libr. 2. Et Anabrosium libr. 1. de Abrahamo, cap. ult. Recitat enim versus Euripidis, apud quem in Andromacha, cum Orestes peteret connubium Hermionis, hæc respondet: Νυμφιάδων τ' ἐμῶν πατήρ ἐμῶν μέλει μὲν ἔξει, καὶ οὐκ ἐμὸν κείναι τὰδε. Sponsaliorum meorum pater meus curam subibit: hoc enim dijudicare non est meum. Inde acriter Pamphilus objurgatur in And. Act. 5. scen. 3. O ingentem confidentiam. Num cogitat, quid dicat? Num facti piget? Vide, num ejus color pudoris signum usquam indicat? Aded impotentem esse animo, ut præter civium morem, atque legem, & sui voluntatem patris, tamen hanc habere studeat. Catullus in Epithalamio canit.

Non equum est pugnare pater cui tradidit ipse,  
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est,  
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.

Et Gen. 34. v. 4. Sichein filius Hemor Jacobum petiit, ut daret sibi uxorem filiam Dinam.

78. Pro decisione questionis notandum est. 1. Parentum nomine intelligi, non tantum qui genuerunt, sed etiam qui ipsis decedentibus succedunt. 2. Consensum esse duplicem tacitum, & expressum, illi que sufficere. 3. Patrem præsumi consentire favore matrimonii, qui sciens contrahi, non contradicat. 4. Patria potestas in pietate, & non in atrocitate consistit. 5. Severitas & rusticitas multorum parentum à Magistratu est punienda, & à concionatoribus arguenda, & convincenda. Virgo enim nubilus est elocanda, 1. Cor. 7. v. 16. Magnum subesse periculum, si ultra tempus detineatur, ostendit Syracides cap. 26. v. 13. 14. 6. Videri debet consentire pater, si nullam probam, & justam sive sufficientem dissentendi causam habere declaretur, conferatur B. Lutherus Tom. 5. Jen. p. 253. 7. Quamvis consensus parentum necessario ad conjugium requiratur, nihilominus matrimonia sunt libera, nimirum à metu, & pœna: Et libertas cancellis certis circumscripta non desinit libertas.

79. Insurgit Bellarminus, & primò proponit exemplum Esavi, qui invitis parentibus duxit uxores, Genes. 26. vers. 28. Respon. 1. Non exemplis, sed legibus est judicandum. 2. Jure id fieri non debuisse: Reprehenditur enim exemplum illud à Spiritu S. Et uxores istæ Isaac, & Rebecca amaritudo erant. Sed inquis Isaac non irritavit ea conjugia,  
& Scribit

& Scriptura uxores eas vocat, quæ erant ductæ. Resp. 1. Aliud est quære-  
re de conjugio initiato, & aliud de consummato, quando copula car-  
nalis intervenit, & res non amplius est integra. 2. Parentum indulgen-  
tia multa tolerat, quæ non probat. 3. Scriptura sæpe loquitur de re-  
bus, non prout revera sunt, sed quales vulgo habentur, ut scortum di-  
citur virgo, Proverb. 30. v. 9. 1. Satan, Deus huius seculi, 2. Cor. 4. v. 4.

80. Secundo, adducit exemplum Jacobi, Genes. 29. vers. 30. qui du-  
xit uxorem unam juxta consilium parentum suorum, sed alias tres, & præfer-  
tim duas ancillas duxit parentibus inscius. At non fecisset id sanctissimus pa-  
triarcha, si credidisset consensum parentum esse necessarium. Respon. 1.  
Præscribit Isaac Jacobo ex quâ familiâ uxorem sibi adjungere de-  
beat, surge, inquit, Gen. 28. v. 12. vade in Mesopotamiam Syriæ in do-  
mum Bethuelis patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de filia-  
bus Laban fratris matris tuæ. Habuit igitur consensum parentis. 2.  
Plures duxit uxores pro illius temporis & loci consuetudine, licet ea  
de re nullum haberet speciale mandatum à parentibus. 3. Pro Rahele  
quam sibi desponderat insigni errore supponebatur Lea. 4. B. Lutherus  
Tom. 5. Jen. Ger. p. 251. excusat *πολυγαμίαν* Jacobi partim ex bonitate in-  
dolis, & ingenii Jacobi, quia secundum æquitatem maluit agere cum  
Leâ, quâ inscius erat pro uxore usus, quàm eandem secundum  
strictû jus expellere; partim ex cõsuetudine publicè recepta, quæ haberi  
solet pro lege. 5. Tom. 3. commen. in Gen. p. 106. distinguit inter factû  
morale, & heroicum, factum Jacobi heroicum esse dicit, quod non  
congruat cum legibus, & in quo multa sint singularia. Conferatur  
Augustinus lib. 16. de civit. Dei c. 38. Brentius in commentar. Le-  
vitic. c. 18.

81. Tertio, ostendit exemplum Tobie, qui capit. 7. uxorem duxit in  
aliena regione parentibus inscius. Respon. 1. Liber iste est extra Cano-  
nem. Non legitur igitur ad confirmationem fidei. 2. Secutus est To-  
bias consilium Angeli, qui pro fundamento sui consilii constituit di-  
vinum mandatum, cap. 6. v. 11. 12. 3. A facto igitur angelico & singulari  
argumentari fas non est ad factum merè humanum.

82. Instat Bellarminus, & rationem opponit: Nam matrimonium invitis  
parentibus cõtractû, si copula carnalis intervenit irritari nequit. Ergo est ratum  
& legitimum, atq; jure consummatû. Ergo etiam matrimonium ante copulam  
contractum irritari non poterat. Copula enim carnalis non eximit filium à pa-  
trii potestate.

83. Resp.

81. Resp. 1. Ipse Bellarminus distinguit cap. 18. & 23. inter ea, quæ impediunt tantum matrimonium contrahendum, & ea quæ dirimunt contractum: Illa impedimenta hoc habent proprium, ut dirimant, si ipsa præcedant, non dirimant, si sequantur. 2. Alii dicunt, post copulam carnalem res integra esse desit. Nuptiæ igitur contractæ non dissolvuntur ob dissensum parentum. Fieret enim injuria mulieri desertæ. 3. Nonnulli distinguunt inter justum, & utile: De talibus quando agitur, non intendendum esse, ajuat, quid jure fieri possit; Sed quid fieri post illegitimum congressum expediat ad incommoda, & pericula majora præcavenda. 4. Addimus, quod Deus matrem & foeminam conjungat. Matrimonia igitur legitima non sunt, quæ secundum Dei ordinationem non contrahuntur. At matrimonia ea, quæ in sciiis, & invitis parentibus contrahuntur, ea secundum Dei ordinationem non contrahuntur. Ergo.

82. Queris, num copula carnalis & consensus parentum demum subsequensejusmodi matrimonia reddat legitima? Resp. Nihil quod per se est peccatum, & illegitimo modo factum, ullius hominis auctoritate potest confirmari, & reddi legitimum. Atqui desponsationes clandestinæ, & matrimonia citra consensum parentum contracta sunt per se peccatum, & illegitimo modo facta, cum sint contra Dei ordinationem, & contra æquitatem naturalem, & civilem. Ergo Valer hic tegula: Quod ab initio firmum non fuit, sequenti rati habitione confirmari non potest. Exordium igitur fiat in hisce à voluntate parentum.

83. Nos disputationem hanc finimus his ipsis, questionem de secundis nuptiis, illisque benedicendis ad sequentem remittentes Disputationem.

### Finis Disputationis XXXVII.



## DISPUTATIO XXXVIII.

**DE IMPEDIMENTIS SPONSALIORUM,**  
*et conjugii contrahendi.*
**Respond. Thomâ Wehnero Rochlitâ. Misnico**

## T H E S I S. I.

**R**EPUTAVIMUS errores Pontificiorum, quos alunt de Matrimonio in genere, ejusq; causa efficiente consentiente. De Dissentaneis igitur conjugii agemus. Ea respiciunt conjugium incundum vel initum. Incundum quæ respiciunt vocantur impedimenta. Impediuntur enim personæ nonnullæ, quò minus matrimonium contrahere queant. Suntque privata, vel publica.

2. Privatum impedimentum est ex jure cognationis, seu propinquitatis. Propinquitas est duorum generum: Est enim vel consanguinitatis, vel affinitatis.

3. Consanguinitas est vinculum, personarum ejusdem sanguinis carnali propagatione connexum.

4. Est hæc inter personas ab eodem stirpite descendentes, & sanguinis cõjunctione proximè junctas, quæ quando oritur ex masculinâ lineâ, dicitur agnatio; Ex fœminea quando originem ducit, cognatio: quæ vocabula sæpe confunduntur, & in genere pro uao, eodemque sumuntur.

5. Stirps est persona, à quâ aliqui, de quorum cognatione quaritur, originem ducunt, tanquam à communi parente, qui cognationi aliquorum causam præbuit.

6. Distinguuntur consanguinei lineâ, & gradibus. Linea est cognatorum, seu consanguineorum series ab eodem stirpite deducta. Diversos igitur continet gradus, monstratq; numerum graduum.

7. Linea est duplex: Recta sive perpendicularis, & obliqua, sive transversa, seu collateralis.

8. Linea recta est, quando directâ serie majores, vel posteri numerantur. Estque ascendentium, vel descendentium. Ascendentium est, quando ab aliquâ persona generata fit progressio ad superiores, unde originem traxit. Descendentium est, quando à personâ generante fit progressio ad illas inferiores, quæ inde per gradus originem traxerunt.

9. Linea obliqua est, quando cognatorum, & agnatorum, qui ex fratribus, aut sororibus ramorum instar ad latera, effluerunt, generationes enúmerantur. Estque æqualis, vel inæqualis. Linea æqualis est, quando utraque persona collateralium à communi stipite pari intervallo distat. Linea inæqualis est, quando altera personarum collateralium à communi stipite longius abest, altera propius adest.

10. Gradus est mutua agnatorum, & cognatorum singulis generationibus propagatorum distantia. Quemadmodum ordo cognationis dicitur linea: Ita series cognationis seu generationis dicitur gradus: Nam gradus est intervallum, quo cognoscitur personarum, de quarum cognatione quaeritur inter se propinquitas, & distantia.

11. Supputatio graduum cognationis est duplex: Alia juris Canonici, & alia juris Civilis. Juris canonici sententia sequentibus comprehenditur regulis. Prima, quæ lineam rectam ascendentium, & descendentium observatur, hæc est: Quot sunt persona, tot sunt gradus computatis per generationes iis, de quibus quaeritur una dempta. Generata enim persona gradum adjicit. Itaque gradum constituit. De eadem linea hæc tradi solet regula: Nulli ascendentes, & descendentes inter se possunt conjugium contrahere: Habent enim se invicem instar parentum, & liberorum. *Levit. 18. v. 6.* Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies. Mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus *ibidem. ver. 10.* Turpitudinem filia, & filii tui, vel neptis ex filio non revelabis, quia turpitudinis tua est.

12. Secunda regula, quæ observatur in lineam æquali hæc est: In linea aequali quoto gradu distat altera persona à communi stipite, toto gradu inter se distant. v.g. Frater & soror collocati in transversali lineam dicuntur esse inter se in primo gradu, scilicet à communi stipite, &c.

13. Tertia regula, quæ traditur de linea inæquali, hæc est: In  
linea

linea inaequali, quoto gradu remotior persona distat à stirpe, toto gradu inter se distant. Jus enim canonicum sententiam de permissione, vel prohibitione graduum ferens non attendit simpliciter ad generationes. Itaque non ostendit, quot gradibus personæ absolutè, & à se invicem, vel inter se distent, ut jus Civile, sed attendit distantiam stirpis ad personam.

14. Supputatio graduum secundum jus Civile non nihil ab enumerata illa supputatione differt. Gradus enim est genus personæ. Quot igitur sunt generationes, tot sunt gradus.

15. Traduntur de computatione graduum secundum Jus Civile communiter tres regulæ: Prima est de ascendentibus, & descendētib: Quot sunt persona, de quibus quaritur cōputatis intermediis, una dempta, tot sunt gradus. Secunda est de collateralibus in lineâ æquali: Quoto gradu quis distat à communi stirpe, toto duplicato inter se distant. Tertia: Quot sunt persona, tot sunt gradus dempto stirpe. vel simpliciter: Quot sunt generationes, tot sunt gradus. Ex his tertia sufficit ad computandos gradus. Si igitur quaritur, quoto gradu filius distet à patre, respondetur, quod pater genuerit filium, quæ una est generatio, unumque gradum conficit. Distat igitur filius primo gradu à patre, nepos secundo, pronepos tertio, abnepos quarto, &c.

16. Affinitas est cognatio ex conjugio orta inter unum conjugem, & alterius conjugis consanguineos. Est igitur affinitas propinquitas personarum, non quatenus in sese, & respectu stirpis considerantur, sed quatenus hæc persona ex hac familia oriunda conjugium iniit cum aliâ personâ ex aliâ familiâ oriunda.

17. De gradibus affinitatis judicatur ex gradibus consanguinitatis. Notari de eâ hæc solet regula: Quoto gradu quispiam est mihi consanguineus, toto gradu uxor ejus est mihi affinis.

18. Denique de impedimento publico unica hæc tradi solet regula; Non tantum quid liceat, verum etiam quid expediat videndum est. Multa quidem licent, inquit, Apostolus, sed non omnia conducunt.


#### STATUS CONTROVERSIÆ.

19. In enumeratis istis non dissentiunt quidem Pontificii à Protestantibus; Sed de aliis specialibus disceptatur, utpote de

Pontificis Romani potestate dispensandi in gradibus prohibitis: De ipsis gradibus prohibitis: De legitimis causis matrimonium prohibentibus.

20. *Quaestio prima: Vera ratio supputandi gradus, Juris Canonici, an verò civilis sit expeditior?*

21. *Resp.* Improbant nonnulli in totum supputationem graduum Canonistarum: Ex quorum numero est Beza, in tractatu de Repud. & Divort. scribens pag. 25. Cui obsecro nisi prorsus mente capto venire in mentē potuit, ut existimaret datā duplici serie cognatorum, unam ad dexteram, alteram ad sinistram, conspici quidem ex unā parte discrimen generationum, in altera non item? Quod ut velis et ceteris pateat, consideremus hanc descriptionem:




Ecce in ista serie si quaratur quoto gradu Laban à Manasse distat: respondetur quinto gradu distare. Quoto Bethuel; itidem quinto; Atqui res ipsa clamat etiam surdis, cum Nahor, Bethuel, Laban aliquot inter se gradibus distant, non posse ipsos pari gradu à Manasse distare, nisi naturæ ipsius ordine convulso.

22. Deinde si canonica supputatio in lineâ inæquali, quoto gradu remotior persona distat à stipite, toto gradu inter se distant, est rata habenda; sequitur fratrem posse ducere, fratris proneptem, abneptem. Atqui hoc est absurdum, & incestus. Ergo.

23. Theologi verò nostri. i. neutram supputandi gradus rationem simpliciter improbant; Sed Canonice supputandi rationem retinent, & præferunt, non propter Pontificis Romani auctoritatem; Sed propter expeditam facilitatem. 2. Non jam agitur de successione

tionibus, hæreditatibus, tutelis, & similibus, in quibus locum habet juris civilis supputandi ratio, & in quibus quæritur de cognatione personarum inter se, hoc fine, ut propinquiore cognato possessio concedatur, veluti docetur Numer. 27. versic. 8. 9. 10. 11. Homo cum mortuus fuerit absque filio, ad filiam ejus transibit hæreditas. Si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. Quod si & fratres non fuerint, dabitur hæreditatem fratribus patris ejus. Sin autem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas his, qui ei proximi sunt; Sed tantum agitur de quæstionibus matrimonialibus, quibus maximè accommodata est supputandi ratio juris Canonici.

24. Expeditam illam facilitatem hoc modo ostendimus, præsupponentes distinctionem inter se distare, & à stirpite distare: In quæstionibus matrimonialibus non quæritur, quantum una persona distet ab altera; sed attenditur distantia personæ à stirpite, ut sciatur in quoto gradu permissum sit conjugium, & in quoto prohibitum. Personæ enim illæ in stirpite concurrunt, & quodammodo unæ sunt. De harum igitur cum quærat distantia, rectè illa, & facile æstimatur ex distantia à stirpite. E. g. Frater & soror in patre tanquam in communi causâ & stirpite junguntur: Et quotquot liberi ab utroque descendunt, in eodè communi stirpite sua considerabunt cognationem eamque inde æstimabunt. Hinc est regula: Si remotior gradus prohibetur. Ergo multò magis prohibitus intelligitur propior. Et si propior est permissus, multò magis remotior permissus intelligitur. Itaque ab altero tantum latere personæ numerantur. At in juris Civilis supputatione ab utroque latere personæ sunt enumerandæ, ut



In hoc exemplo si sciam, nepoti permiffum esse conjugium inire cum pronepte, multò magis illi cõcessum est ducere abneptem. Itaque nihil attinet in matrimonialibus reliquas personas, ut fit in supputandi modo Juris Civilis, enumerare. Sufficit igitur personas ab alterâ enumerare parte.

25. Quare ad argumentum Bezae primum respondemus: Absurdum quidem esse in quæstionibus de hereditate, & successio- nibus, si dixeris, Manassem distare quinto gradu à Bethuele & quinto i- tidem à Labano: Sed non in quæstionibus de rebus matrimoniali- bus: Nam si mihi constet permiffum esse conjugium inter Manassen, & Bethuelem, seu ejus sororẽ, multò magis permiffum est idem inter Manassen, & Labani sororem juxta regulam dictam: *Si prior gradus permittitur, multò magis remotior permiffus intelligitur.* Itaque nihil attinet reliquas personas enumerare.

26. De secundo Argumento antiquitas quidem fuit disce- pratum; Sed de eo nulla jam est controversia: Persona enim illa, que in una linea stipite est proxima, conjugium inire nequit cum reliquis in alterâ lineâ descendantibus, quia his est parentis loco. *Cujus filiam uxorem ducere non licet, neque ejus neptem permittitur, inquit Imperator in Just. tit. de nuptiis.*

27. Quæstio secunda: *Verum omnia illa præcepta seu potius inter- dicta, quæ habentur in Levitico de gradibus cognationis, sint naturalia & mo- ralia; An verò quadam sint tantum forensia?*

28. Resp. Nos omninò censemus interdicta illa omnia esse juris naturalis; Ided nullum hominem in illis posse dispensare. Af- fertionis nostra fundamentum primum hoc est: Quæcunque præcepta o- bligârunt etiam gentes, illa non sunt forensia, sed naturalia, & mora- lia: Forensia enim populi Judaici præcepta obligârunt solos Judæos. Atqui præcepta de vitandis quibusdam gradibus consanguinitatis, & affinitatis obligârunt etiam gentes, quibus propter earum transgre- sionem infliguntur pœnæ. *Levit 18. v. 24. 26. 27. Ergo.*

29. Obstrepit Bellarminus dicens, gentes punitas fuisse non ob trans- gressiones interdictorum de gradibus cognationis; Sed ob adulterium, concu- bitum cum masculis, & jumentis, & ob idololatriam. Deinde punitas eas esse  
ob con-

ob conjugia in primo gradu consanguinitatis, & non ob conjugia in reliquis gradibus. Verba ejus hæc sunt: Est tamen hic observandum, peccasse quidem Gentes in ejusmodi conjugis contrahendis; Sed non ita graviter, ut propter illa ejicienda essent à terra. Ista enim pœna propriè respicit crimen idololatriæ, & adulteria, ac flagitia illa prodigiosa cum bestiis, & masculis. Cum enim scriptura dicit: Omnia hæc fecerunt, &c. non intelligit tantùm conjugia in gradibus prohibitis, sed omnia scelera supra nominata. Nec dicit scriptura, propter singula peccata fuisse dignos illos, qui à terrâ evomerentur; Sed propter omnia, quia nimirum inter illa omnia erant quedam gravissima, & enormia.

30. Resp. 1. Distinguenda sunt peccata privata, hoc est, privatorum hominum, à publicis, hoc est, quæ publicè vigent, & approbantur in toto aliquo populo. 2. conferat Bellarminus cap. 20. v. 11. 12. 14. 17. 19. 20. cum cap. 18. vers. 20. Nam post prohibitiones graduum cognationis immediatè eadem recensentur pœnæ. 3. vers. 22. 23. indefinitè præcipitur Judæis, ut custodiant leges, judiciumque Dei, ne ipsos terra evomat, sicut gentes. Peccârunt igitur istæ non tantum contra primum consanguinitatis gradum, sed etiam contra reliqua interdicta. Idque idem docet particula universalis: Omnia hæc fecerunt.

31. Secundum fundamentum: Præcepta illa Prophetæ moralibus annumerant. Ergo non sunt forensia, sed juris naturæ. Ezech. 22. vers. 10. Verenda patris tui discooperuerunt in te, immunditiam menstruata humiliaverunt in te. Et vir in uxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefariè, frater sororem suam, filiam patris sui oppressit in te. Arguit Prophetæ in versiculis præcedentibus, & sequentibus peccata contra legem moralem. Media igitur illa sunt ejusdem generis. Simile legitur, Amos 2. vers. 7.

32. Tertium fundamentum: Naturale, & morale est, quod est inscriptum omnium sanorum hominum cordibus. Atqui interdicta illa omnium sanorum hominum cordibus sunt inscripta, idque probatur ex jure civili, & Imperatorum legibus. Ergo.

33. Quartum fundamentum: Quæcunque præcepta in N. Testamento

ſtamento repetuntur, & obligant omnes Chriſtianos, & ex quibus in N. Teſtamento peccata arguuntur, illa non ſunt poſitiva, judicialia, ſive forenſia legis Moſaicae. Atqui praecepta illa de gradibus cognationis interdictis in N. Teſtamento repetuntur, & ad eorum obſervantiam Chriſtiani obligantur, ut patet ex 1. Cor. 5. ver. 1. & 5. Reprehenduntur enim Corinthii, quod praetextu libertatis Evangelicae non ſervabant de gradibus cognationis legem leviticam: *Omnino auditus inter vos fornicatio, dicit Apoſtolus, & talis fornicatio qualis nec inter gentes: ut uxorem patris ſui aliquis habeat. Et Mar. 6. v. 19. dicit Baptiſta ad Herodem: Non licet tibi habere uxorem fratris tui, Ergo.*

34. Exceptiones Bellarmini haec ſunt: 1. Prohibitus quidem eſt primus aſſinitatis gradus jure nature; Sed non idem reliqua praecepta de gradibus ſunt naturalia. 2. Probabile eſt, Apoſtolum loqui de aliquo, qui uovercam concubinae habuit loco vivente adhuc patre. 3. Non Iohannes, cuius toto tempore vixit lex illa, niſi praedicando, ſed Chriſtus, & quidem abrogando ſinem impoſuit legi. 4. Crimen Herodis non tantum adulterium, ſed etiam inceſtus fuit.

35. Reſp. 1. Exceptio Bellarmini prima pugnat cum regula generali, *Levit. 18. v. 6. Et cum conſuſione generali ver. 24. Quis igitur eſt unius gradus prohibiti ratio, talis eſt etiam reliquorum. Ipſe gradus rei non mutat eſſentiam.* 2. Nullum legitur apud Apoſtolum verbum ex quo poſſit opinio illa de concubinato, & patre adhuc vivente deduci. Et Apoſtolus ſeverè caſtigaret patrem ſuperſtitem ejulmodi flagitium permittentem. 3. Lex, & Prophetae utique ad Iohannem, *Matth. 11. v. 13. Fuit igitur Iohannes praeco non veteris, ſed N. Teſtamenti. Et nullas leges ceremoniales urſit: Atque Chriſtum preſentem digito monſtravit, Ioh. 1. v. 29. 36. Prophetae Chriſtum futurum praedixerunt.* 4. Arguit Baptiſta Herodem ex *Levit. 18. verſ. 16. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis. Nihil igitur ad rem facit ſive uxorem habuerit fratris viventis, ſive defuncti.*

36. Denique his adduntur fundamenta à patre, & à conſuſione generali. Nam legum iſtarum tranſgreſſoribus poenae ubique imponuntur graviffimae, utpote capitales, *Levit. 18. & 20. Deut. 27. v. 20. Jubentur interfici, delecti de populo, orbati filiis, prohiberi aditu Eccleſiae. At tranſgreſſoribus legum poſitivarum poenae plerumque imponuntur leviores. Et legibus iſtis de certorum graduum interdictis ſubjicitur conſuſio haec generalis: *Cuſtodite leges meas, atque iudicia, quae**

faciens homo viver in eis, *Levit. 18. vers. 5.* Interdicta igitur illa non sunt forrenſia, quæ obligant ſolos Judæos, ſed moralia, obligantque omnes homines.

37. Obſtrepit Bellarminus primò: *Diſtincta poene imponuntur legum iſtarum transgreſſoribus, Levit. 20. Ergo non eſt idem jus graduum illorum prohibitorum, Levit. 18.*

38. Reſp. 1. Non omnia flagitia contra Decalogum commiſſa iuſdem puniuntur poenis. Num tu igitur inferes, non eſſe ea contra Decalogum, & legem moralem commiſſa? 2. Gradus poenarum arguunt gradus peccatorum, & non diverſitatem juris.

39. *Secundò Naturalia, & Moralia obligant ſemper etiam ante legem latam. Atqui interdicta illa Levit. 18. non obligarunt ſemper, ut oſtendit exemplum Jacobi duas ſorores ducentis, Gen. 29. Juda Patriarcha filio ſuo ſecundo genito uxorem primogeniti defuncti dantis, Gen. 38. contra legem Levit. 18. vers. 16. cap. 20. vers. 21. Moſis ex conjugio nepotis cum amitâ nati, Exod. 6. Numer. 26. Ergo.*

40. Reſp. 1. Facta & exempla non ſtatim abrogant legem. 2. Mores Patrum revocat Chriſtus ad conjugii institutionem, *Matth. 19. v. 8.* 3. De facto Jacobi dictum eſt in præcedente Diſputatione: Exemplum enim illud non eſt morale, ſed ſingulare, quod cum legibus non congruit. 4. Factum Judææ correſpondet legi, *Deut. 25. v. 5.* quæ ſpecialis eſt ſolos concernens Judæos, cujus rationem reddit Moſes *v. 6.* Ne videlicet tribuum poſſeſſiones, & ipſæ tribus confunderentur, ut conſtaret, ex quâ tribu Meſſias eſſe oriundus. 5. Amramus non peccavit contra legem *Levit. 18. vers. 14.* Nam Amramus Moſis pater, & Jochabed fuerunt patruèles.

41. *Tertiò Moſes in Levitico quadam conjugia prohibuit, & quadam in eodem gradu permittit: Nam prohibet conjugium nepotis cum amitâ, & matertera, ſed non prohibet conjugium patru, vel avunculi cum nepte ex fratre, vel ex ſorore cum tamen ſint in eodem gradu nepos, & amita, patruus & neptis, &c. Ergo prohibitio illa non eſt juris naturæ ſed judicialis, & poſitivi.*

42. Reſp. 1. Non ipſæ tantum perſonæ, quæ nominatim apud Moſen nominantur, ſed ipſi gradus prohibentur. 2. Moſes in ſua ſupputatione loco ſtipitis ponit marem, & ſcæminas deſcribit, à quarum conjugio mas debeat abſtinere. Si quis igitur loco ſtipitis ponat ſcæminam, rectè concludet, ſi non liceat nepotem matrimonio jungi ami-

ta, nec licere, neptem jungi patrio. 3. Patrium enim par eſt ratio.

43. *Quarto*, In Levitico cap. 18. precipitur, ne quis ducat uxorem fratris ſui. At Deut. 25. precipitur, ut ſi quis abſq; liberis moriatur, ducat frater ſus uxorem illius. & ſuſcitet ſemen fratri ſuo. Quare quod in Levitico legitur non eſt morale, & naturale (quia hoc eſt perpetuum) ſed forenſe.

44. *Reſp.* Inſtitutio alia eſt perpetua, cujuſmodi eſt illa, quæ legitur Levit. 18. Et alia eſt ordinatio temporalis, cujuſmodi eſt illa, quæ legitur Deut. 25. quæ eſt ſpecialis, & ob certam cauſam ſoli populo Judaico propria.

45. *Quæſtio tertia*: Quinam gradus conſanguinitatis ſint prohibiti?

46. *Reſp.* Graduum ſupputatio hoc loco traditur, ut quamnam perſonæ conſanguinitate non prohibente poſſint jungi, quamnam non congiungi, conſtet. Extat verò divina prohibitio Levitic. 18. & cap. 20. à verſ. 11. uſq; ad 22. Quæ ſi expendatur, facile percipitur, ſi ſecundū ſupputationem juris Canonici procedere quis voluerit, prohiberi in eà æquali primum gradum, ſed permitti ſecundum; In lineà verò inæquali prohiberi primum & ſecundum gradum ſed permitti tertium. E.g. Nepoti permiſſum non eſt conjugium inire cum avi filiâ, nec permittitur ipſi pronepti, eò quod præavi filiâ parentis ſit loco; At permittitur pronepti conjugium inire cum nepote.

47. Quod hoc loco opponi ſolet de primis parentibus, qui in uxores duxerunt ſorores, ad illud rectè reſpondet *Auguſtinus* lib. 15. de Civit. Dei cap. 16. Id factum quantò eſt antiquiùs compellente neceſſitate, tantò poſtea factum eſt damnabiliùs religione prohibente.

48. Jus verò municipale in matrimonialibus obſervandam eſſe cenſet regulam Apoſtolicam: *Non tantum ejus quod licet, verùm etiam, quod expedit, ratio eſt habenda.* Hinc jure municipali plures gradus, quam jure divino prohibentur.

49. Non convenit verò inter omnes de numero horum graduum. Nam Pontifici ad ſeptimum uſque gradum ſecundum ſupputationem juris Canonici prohibitionem extendunt: Quoniam, ajunt, ſicut ſex ætatibus finitur mundi duratio, & hominis ætas: Ita propinquitatis generis tot gradibus terminatur. Concilium Lateranenſe quartum gradum non concedendum eſſe decernit: Quia quatuor ſunt humores in corpore, qui ex quatuor conſtant elementis; In

quarto

quarto verò gradu penitus deficit vis illa ejusdem sanguinis, quæ primo stipire trahitur.

50. Ridiculæ, & ineptæ sunt rationes istæ. Ineptæ igitur pariter sunt opiniones, & statuta ista. Plerique verò statuunt docti, cum ob majorem sanguinis reverentiam, tum ob majus studium in divinis prohibitionibus observandis tenendum, rectissimè in bene constitutis Rebus pub. tertium prohiberi gradum.

51. Quæstio quarta: *An in gradibus prohibitis possit dispensari.*

52. Resp. Pontificis Romani audacia eò pervenit, ut pro suâ, quam in omnes leges, tum divinas, tum humanas se habere gloriatur, potestate in gradibus lege divinâ Levit. 18. & 20. expressè prohibitis dispenset. Ex quâ dispensatione Rex Hispaniæ sororis filiam in uxorem duxit. Henricus Rex Angliæ cum fratris uxore vidua derelicta matrimonium contraxit. Comes Ritbergensis cum fratris filiâ conjugium iniit. Idque rectè fieri defendere conatur Bellarminus lib. de Matrim. Sacra. cap. 27. argumentum confirmationis inde petens, quod putet, prohibitiones illas graduum esse merè Mosaicæ ad Leviticæ, seu positivas leges pertinentes, quæ populum Israëliticum duntaxat obligarint tempore V. Testamenti: Nunc autem sint abrogatæ, & liberæ, non secus ac reliquæ Mosis leges judiciales, & positivæ.

53. Verum impia, & in leges divinas iniqua est Bellarmini hæc opinio, idque probatur à natura legis moralis: In hac enim nemo hominum potest dispensare. Atqui prohibitiones illas Levit. 18. & 20. esse non positivas, sed morales evicimus in præcedentibus. In his igitur nullus hominum, nedum Pontifex Romanus potest dispensare.

54. Quamvis igitur in prohibitionibus humanis possit dispensari, & non tantum in secundo, & tertio gradu affinitatis, sed etiam in tertio gradu consanguinitatis sub certis conditionibus matrimonium concedi, non tamen fieri id potest ab homine in prohibitionibus divinis.

55. Quæstio quinta: *An cognatio spiritualis matrimonium impediatur?*

56. Resp. Cognatio spiritualis Pontificiis est affinitas quædam inter eum, qui administrat, & qui accipit Baptismum, vel confirmationem, & inter eum, qui testis est alterius istorum Sacramentorum, & inter singulorum cognatos proximos, orta. Bellarminus dicit

capit. 30. *Cognatio Spiritualis, & legalis, publica iustitia, & affinitas ex fornicatione merito ab Ecclesia inter impedimenta matrimonii referuntur.* Decret. secund. part. causa 30. question. 1. C. 1. Scitis quia quomodo sunt septem dona Baptismi à primo pabulo sacra falis, & ingressu Ecclesie usque ad confirmationem sancti Spiritus per chrisma. Ab hoc ergo primo Spiritus Sancti dono usque ad septimum nullus Christianus suam commatrem in conjugium suscipere debet. Et qui præsumpserit, tamdiu vinculo anathematis religetur, donec poenitentiam dignè egerit. Et Johannes Paulus Lancelotus scribit libr. 2. Inst. Juris Canon. Tit. 13. *Multò magis cognatio matrimonio est impedimento. Est autem cognatio triplex: Spiritualis, legalis, & naturalis. Spiritualis cognatio est attinentia quadam proveniens ex Sacramenti collatione. Non solum igitur inter baptizantem & illum, qui eum de baptismo suscepit, item inter baptizatum, & suscipientis filios, & uxorem ante susceptionem à suscipiente carnaliter cognitam: Verum etiam inter suscipientem, parentesque baptizati, cognatio spiritualis contrahitur, quæ & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit postea contractum. Et quæ de suscipiente dicta sunt, eadem etiam de baptizante sunt intelligenda. Videatur etiam Decret. libr. 4. Titul. 11. Et sexti Decret. libr. 4. titul. 3. Lombardus libr. 4. Distinction. 42. liter. B.*

57. Urgemus contra assertionem hanc unicum illud argumentum, quod habet B. Lutherus in lib. de captivitate Babyl. cap. de Matrimonio: *Nullum matrimonium inter fratres, & sorores spirituales potest esse legitimum, & ratum secundum statutum Pontificium. Atqui omnes homines Christiani sunt fratres, & sorores spirituales, quia omnes ex eodem sunt regenerati verbo, & Baptismo. Ergo nullum inter eos esse potest matrimonium legitimum, & ratum: Et per consequens Christianos oportet cum solis Ethnicis conjugium inire. At absurdum, & ipsi Bellarmino contrarium. Ergo.*

58. Excipit Bellarminus, impedimentum cognationis spiritualis, inquit, non ex jure naturæ, sed ex Ecclesie arbitrio pendet: Ecclesia autem non quamlibet spiritualem cognationem impedimentum esse voluit, sed eam solam, quæ ex Baptismo, & Confirmatione oritur. Nam ut hanc cognationem impedimentum faceret, habuit causam rationabilem, quia unus ab alio recipit esse spirituale, & ideo debet illi peculiarem reverentiam, &c. neque ullum absurdum ex hac impedimenti additione sequi videbat. At ut cognationem,

tionem, quæ est inter omnes Christianos, impedimentum faceret, neque causam habuit (non enim quatuor illæ rationes in hac cognatione locum habent) & absurdum maximum sequi videbat, nimirum ut cogerentur fideles infidelibus copulari.

59. Respond. 1. Meræ sunt petitiones principii: Quod enim affirmatur à Pontificiis conjugium esse nullum inter illos, quos Ecclesia conjungi prohibuit, illud rectè à Protestantibus negatur. 2. Pontificem Romanum jus illud ex scrinio pectoris sui proferentem, neque pro Ecclesiâ, neque pro ipsius capite agnoscimus, ut alibi ostendimus. 3. Num pro divina veritate acceptandum est illud, quod Christi adversarius non ex scriptura sacra; sed ex suo cerebro pro suo arbitrio statuit?

60. Opponit Bellarminus primò ipsam honestatem: Docet, inquit, ipsa natura, parentibus, & consequenter aliis consanguineis, & affinibus deberi peculiarem verecundiam, reverentiam, seu cultum, & observantiam. Huic autem reverentia repugnat maximè conjugalis actus, qui sine turpitudine quadam & irreverentiâ exerceri non potest, &c. Hac autem ratio eò usque valet, quousque habetur notitia cognationis: Solent autem homines ordinariè usque ad quartam generationem se cognatos agnoscere, deinceps autem vix ulli sunt, qui se pro cognatis habeant.

61. Respond. 1. Scriptura sacra sola est norma rerum fide capiendarum. Hæc verò non extendit matrimoniorum prohibitiones, quousque extenditur notitia nostra cognationis, 2. Falsum est ex actione illa sacramentali consanguinitatem, sive affinitatem inter baptizantem, & baptizatum, atque Baptismo astantes nasci.

62. Secundò à consuetudine, & familiaritate, quæ inter consanguineos, & affines esse debet, argumentum ducit. Respond. 1. Annon id est contingens? 2. Num in matrimonio vivere non possunt, qui in iisdem, vel vicinis vivunt ædibus nulla cognatione, vel affinitate juncti.

63. Tertiò argumentatur à studio charitatis intra extraneos dilatanda: Resp. Si ratio hæc debet absolutè spectari, sequitur, quod non liceat ducere eam, quæ quoquo modo ob hanc vel illam causam alicui est chara.

64. *Quartum argumentum petit ab usu moderato officii conjugalis. Cum enim naturaliter consanguinei diligantur, si adderetur etiam amor conjugalis, cresceret plus debito carnalis amor.*

65. *Resp. 1. Num conjugalis amor est carnalis? Annon ab auctore Deo nominatur fœdus Dei Pro. 2. v. 17. Malach. 2. v. 14. Annon honorabile est conjugium inter omnes? Heb. 13. 2. Certè verus amor adactus efficit amorè legitimum, & non carnalem, nisi in homine carnali.*

66. *Quæstio sexta: An secundæ, tertiæve nuptiæ sint benedicendæ.*

67. *Resp. Bellarminus lib. de Matrim. Sacra. cap. 9. verissimum esse, ait, secundas nuptias non benedici.*

68. *Opponimus affirmationi illi tantum duo. 1. Cuius legitimo matrimonio, est benedicendum in Ecclesia. Atqui secundæ tertiæve nuptiæ legitimo modo contractæ sunt legitimum matrimonium. Ergo ipsis est benedicendum. Minor colligitur ex Roman. 7. v. 3. Vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro. 1. Cor. 7. v. 39. Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus: liberata est à lege, cui autem vult, nubat, tantum in Domino. Indefinite dicit Apostolus. Vir ejus. Proinde docet, quod viduæ semper liceat nubere mortuo marito, sive fuerit primus, secundus, tertius, quartus; &c. 1. Tim. 5. vers. 14. Volo igitur juniores nubere, liberos gignere, domum administrare nullam occasionem dare adversario ad conviciandum: Ad quod igitur hortatur Apostolus, illi rectè benedicit Ecclesiæ minister. Atqui hortatur ad secundas nuptias. Ergo 1. Tim. 4. vers. 3. Prohibitio nubendi vocatur doctrina dæmoniorum. Quare contraria concessio, ejusque benedictio est Dei doctrina. Et ipse Jehova non determinat nuptiarum numerum, propter hoc, inquit, Gen. 2. v. 24. relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ. Ergo nec nostrum erit earum, si modò sint legitimæ, certum definire numerum.*

69. *2. Omnis bona constitutio Ecclesiastica, piè servatur. Atque benedictio nuptiarum tam secundarum, quàm primarum est per se bona constitutio Ecclesiastica. Ergo.*

70. *Oggerit Bellarminus scribens lib. de Mat. Sacram. cap. 9. Causa cur secundæ nuptiæ non benedicantur, est, quia benedictio in primis nuptiis data*

non perit, neque debent iterum benedici, qui semel benedicti fuerunt, ut docet Urbanus III. Pontifex Erra de secundis nuptiis. Can. vir autem.

71. Resp. 1. Priore conjugio mortuâ ipsum conjugium exspiravit, Rom. 7. v. 2. Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri. Ergo simul exspiravit benedictio, quæ cum eodem fuit conjuncta. 2. Non decretalia, seu Extravagantia, sed verbum Dei est lucerna pedum nostrorum.

72. Quæstio septima: Num digamia successiva pugnet cum ordinibus sacris, & lege verè Apostolica sit clericis interdicta?

73. Resp. Bellarminus lib. de Matrim. Sacram. cap. 9. De hac re, inquit, differimus in lib. 1. de Clericis, ubi ostendimus, Paulum unius uxoris virum, i. e. qui non plures uxores habuerit, Episcoporum, Presbyterum, & Diaconorum ordinari voluisse. 1. Tim. 3. Tit. 1. Et in lib. 1. de Cleric. cap. 23. scribit. Catholica Ecclesia semper verba illa B. Pauli ita intelligenda esse docuit, ut prohibitum sit sacris ordinibus initiare eos, qui quovis modo bigami fuerint.

74. Refutari verò potest opinio illa vel iisdem fundamentis, quæ opposuimus Disputat. 15. opinioni Pontificiorum de cællatu Sacerdotum. Nam 1. Apostolus dicit. Tit. 1. v. 6. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens, non in accusatione luxuria, aut non subditos, &c. Ex his verbis colligimus, polygamiam plurium uxorum simul esse crimen, & improbari à Deo, sed non polygamiam successivam. Docet id Apostolus dicens eum Episcopum crimine carere, qui sit unius uxoris vir, filios habens fideles. Successiva igitur plurium uxorum polygamia non prohibetur lege Apostolicâ.

75. 2. Sententia mandati Apostolici, 1. Cor. 7. v. 2. unusquisq; uxorem suam habeat, correspondet ejusdem Apostoli dicto, 1. Tim. 3. v. 2. oportet Episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virum. At non prohibentur secundæ nuptiæ in illo mandato, sed tantum adulteria. Ergo nec in hoc.

76. 3. Apostolus 1. Cor. 7. v. 8. se viduis annumerat. At cap. 9. ejusdem Epistolæ vers. 5. se habere potestatem circumducendi uxorem scribit. Quare Clericis non est prohibitum secundas contrahere nuptias. Qui enim potestatem habet uxorem circumducere, ille potestatem etiam habet eam ducere.

47. 4. Apostolus de conjugio Episcoporum differens non

inter-

Interdixit bigamiam Episcopis. At apertè monogamiam designasset, & ejusmodi monogamum requisivisset.

78. §. Et quænam quæso prohibitionis illius ratio? certè non moralis: Multò enim magis requiretur in Episcopo, ne esset adulter, aut concubinarius, quàm ne esset bigamus. At vox cujusdam Cardinalis est, quam Colonienſes Papiſtæ defendere studebant, satius esse sacrificulum centum habere concubinas, successivè tamen, quam unam legitimam uxorem. Et in Jure Canonic. Distinct. 3. 4. Can. 7. discernitur: *Fraternitatis tuæ relatione suscepta, ejus laborem secundas quidem nuptias expertum non fuisse didicimus, castitatem tamen eum priori non servasse conjugio designasti. Et quamvis multa sint, quæ in hujusmodi casibus observari canonicè jubeat sublimitatis auctoritas: tamen quia defectus nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, distinctionis illius non patitur in omnibus manere censuram, & etas istius, de qua agitur, futura incontinentia suspicionem auferre dignoscitur, ut ad diaconatum possit provehi, tempore, ut dictum est, condescendentes defectu concessisse nos noveris. &c.*

### Finis Disputationis XXXVIII.





DISPUTATIO XXXIX  
 DE CAUSIS MATRIMONIUM INITIUM  
 dissolventibus

Resp. Johanne Cothmanno Hervordiâ. Westphalo

THESIS I.



Uperest ut agamus de conjugii initi dissolutione,  
 ejusque causis, atque errores de his Pontificiorum  
 refutemus.

SENTENTIA PROTESTANTIUM.

2. Dissolvitur matrimonium morte, vel di-  
 vortio. Morte dissolvitur matrimonium, quando  
 conjuges morte separantur. De hac dissolutione dicit Apostolus. 1.  
 Cor. 7. v. 39. *Mulier alligata est legi quanto tempore viresus vivit, quod si dor-  
 mierit vir ejus, liberata est à lege, cui autem vult, nubat: tantum in Domino.*

3. Divortium est matrimonii consummati propter legitimas causas,  
 alterius nimirum conjugis adulterium, aut maliciosam desertionem dissolutio,  
 facta per sententiam ordinarii judicii, ut innocenti saltem parti novum inire  
 matrimonium concedatur.

4. Cicero lib. 3. de orat. Divortium, inquit, in uxore necessitas cogit  
 sumere, cum non esset proprium. Dicitur igitur Divortium à divertendo  
 quod conjuges soluto matrimonio divertant, inque diversas partes  
 abeant; vel à diversitate mentium, quod diremto matrimonio pars  
 nocens mentem mutasse convincatur ab eâ, quam habuit cum matri-  
 monium contraheret

5. Genus divortii est dissolutio, sive separatio, quæ opponitur  
 conjunctioni, idque docetur Matt. 19. v. 6. Quod Deus conjunxit, ho-  
 mo ne separet. Itaque ex vi oppositionis quam latè patet conjunctio,  
 tam latè patet dissolutio. Atqui conjunctio respicit & torum & vin-  
 culum conjugale: conjungit personas non tantum quoad torum, sed

XXXX

etiam

etiam quoad vinculum. Ergo diſſolutio diſſolvit matrimonium cum quoad torum, ſeu cohabitationem, tum quoad vinculum.

6. Dicitur *diſſolutio matrimonii conſummati*, quo diſtinguitur divortium à repudio: Hoc enim diſſolvuntur ſponſalia, hoc eſt, matrimonium inchoatum; Illo matrimonium conſummatum & legitimum. Ubi igitur divortium fieri debet, matrimonium aliquod prius fuiſſe conſtat in legitimâ ſuâ formâ conſiſtens: Hæc ubi non fuit, matrimonium ſimiliter non fuit. Matrimonia igitur quæ jure ipſo ſunt nulla, non dicuntur proprie diſſolvi. E.g. vir frigidus, ſeu impotens, & mulier inepta redditur ad conjugium ante coalitionem in unam carnem: Tales igitur perſonæ nequaquam ſunt conjuges, quia non ſunt conjuges, quia non ſunt una caro: Obligatio verò in unam carnem eſt conjugii forma. Ubi autem non eſt forma, ibi nec eſt formatum, nec per conſequens conjugium. Itaque ſi altera perſonarum conticeſcere, & cohabitare nolit, non fit divortium; Sed exploratâ frigidityte fit declaratio, alteram perſonam ad conjugium eſſe ineptam, & ſocietatem illam non eſſe conjugalem, perſonæque liberæ, atque proinde alteri feliciorẽ concedi poſſe copulationem.

7. Cauſæ propter quas diſſolvitur matrimonium debent eſſe legitimæ: unde judicari debent à judicio ordinario, hoc eſt, conſiſtorio ex viris Eccleſiaſticis, & politicis conſtituto. Quemadmodum enim matrimonia ſecundum præceptum divinum contrahuntur, & publicâ authoritate coram Eccleſiâ benedicuntur: Sic non privatâ, ſed publicâ authoritate ſunt diſſolvenda, cauſa in ordinario judicio eſt cognoscenda, ut judicis ſententiâ publicâ feratur voce.

8. Tradit Scriptura cauſas divortii duas. Prior eſt adulterium, de quo luculentiffimum habemus teſtimonium Chriſti, *Mat. 5. v. 32. cap. 19. v. 9.* Dico vobis, quod quiſquis repudiaverit uxorem ſuam, niſi cauſa ſupri, efficit ut illa ſit adultera.

9. Poſterior eſt malitioſa deſertio, de qua dicit Apoſtolus Paulus *1. Cor. 7. v. 15.* Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat, non eſt ſervituti ſubjectus frater, aut ſoror in ejusmodi: Sed in pace vocavit nos Deus. Quibus docetur, perſonam injuſtè deſertam liberam eſſe, nec cogendam, ut vagabundum deſertorem ſequatur.

10. Dicitur deſertor, qui mutuum convictum denegat, vel qui ſævitiâ, & prodicione aliam perſonam à ſe abigit. Seu: Deſertor eſt homo

homo infidelis, & ἀπιστος, qui nulla honestâ causa coactus, sed vel levitate, vel injustâ impatientia freni conjugalis, vel aliis non necessariis causis impulsus vagatur.

11. Non igitur desertor est dicendus, qui abest officii causa, ut legatus, vel miles autoritate legitimâ ad militandum delectus, vel qui profectus est voluntate conjugis ad mercaturam exercendam, aut aliud quoddam honestum negotium perficiendum.

12. Dicitur denique in definitione quod parti innocenti, novum liceat inire matrimonium: Huic enim propter aliena delicta non sunt injiciendi laquei. Unde Apostolus desertam ad aliud in eundem conjugium pronunciat liberam, 1. Cor. 7.

## SENTENTIA PONTIFICIORUM

13. Bellarminus lib. de Matrim. cap. 18. Impedimenta quædam, ait, impediunt matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum. Dicuntur enim impedire, & dirimere, quæ ipsi essentiæ matrimonii contraria sunt, adeo, ut necessariò aliquid essentielle Matrimonio desit, proinde nec sit verum matrimonium, si cum eo impedimento fuerit celebratum.

14. Impedimenta hujus generis numerantur omnino duodecim, quæ his versiculis continentur.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,  
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,  
Si sis affinis, si sortè coire nequibis,  
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.*

15. Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet (juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam) propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi: & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjugate vivente, aliud matrimonium contrahere: macharique eum, qui dimissâ adulterâ aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultreo alii nupserit, anathema sit, Concilium Tridentinum de Matrim. Can. 8.

16. Matrimonii inter fideles contracti, & consummati vinculum adeo est insolubile, ut neque causa fornicationis dirimi possit; &

ideo vivente priore conjuge nunquam est licitum ad alias nuptias aspirare, Bellarminus lib. de Matrim. cap. 16.

STATUS CONTROVERSIÆ

17. Quæ igitur in controversiam hoc loco veniunt, illa sunt de causis matrimonium dissolventibus, & de modo, atq; ratione solutionis, utrum videlicet adulterio, & malitiosa desertione solvatur & quoad torum, & quoad vinculum.

18. Quæstio prima: *An cultus disparitas, seu infidelitas impediat matrimonium contrahendum, & dissolvat contractum?*

19. Resp. Bellarminus dicit lib. de Matrim. c. 18. *Non potest fidelis cum infideli contrahere matrimonium* Et cap. 23. *Non licet fidelibus cum infidelibus, aut etiam hereticis matrimonia jungere.* cap. 12. disputat quomodo matrimonium infidelium sit solubile etiam quoad vinculum. Cap. 23. *Matrimonium inter fidelem, & infidelem, non baptizatum, ait, irritum est ex more populi Christiani, vim legis obtinente.* Ibidem: *Potest summus Pontifex, si causa id postulet, cum fidei dispensare, ut cum infideli matrimonium contrahat.*

20. Disputat verò Bellarminus ex falsis hypothesibus, quas cum alibi refutaverimus, hoc loco missas facimus, & sententiam nostram de conjugio fidelium, & infidelium ex Scriptura exponimus.

21. Aliam verò dicimus esse quæstionem, si quærat de matrimonio ineundo, & contrahendo, & aliam si quærat de matrimonio inito, & consummato: Deinde distinguendum est inter hæreticos, qui sunt in Ecclesia, licet non de Ecclesia, & qui sunt extra Ecclesiam, ut Judæi, Turcæ & pagani: Illi errant in quibusdam doctrinæ Christianæ partibus; Hi in totâ religione differunt à Christianis: Cum his igitur matrimonium Christiani contrahere nequeunt, nisi certissima affulgeat spes conversionis, & abjiciatur hæresis. Nam Israëlita arcentur à connubiis gentium Chananæarum, & quidem propter seductionem. Quare L. Ne quis Cod. de judæis, & Cælicolis dicitur: *Ne quis Christianam mulierem in matrimonium Judæus accipiat, neque Judæa Christianus conjugium sortiatur.* Nam si quis aliquid hujusmodi admisit, adulterii commissi hujusmodi vicem crimen obtinebit, libertate in accusandum publicis quoq; vocibus relaxata.

22. Conjugium inter infidelem, maxime qui maritus sit, & fidelem

delem admodum est periculosum, & præstat tale evitare, quam inire. Quid enim quæso est gravius quam in latere habere servum Diaboli & costam, cariemq; Diaboli fieri? Annon exempla testantur, quam matrimonia illa plerunq; sint infelicia, & quem tortiantur exitum? Quin imò de terrestribus bonis homines vehementer sunt solliciti: Annon igitur multò magis de cœlestibus? Videndum igitur in his est, non tantum quid liceat, sed etiam quid expediat.

23. Quamvis verò conjugia hæc in tantum, non tamen in totum illicita esse censemus. Nam. 1. Quicquid per se cum conjugio non pugnat, illud simpliciter conjugium contrahendum non impedit, multò minus illud conjugium contractum dissolvit. Atqui infidelitas cum matrimonio per se non pugnat, licet dissuadeatur, cum non faciat ad fidem, & ædificationem Ecclesiæ. Ergo.

24. 2. Inter infideles & paganos verum fuit matrimonium. Ergo infidelitas per se non facit matrimonium irritum, nec simpliciter illud impedit. Verum igitur de hoc matrimonio est illud Christi *Matth. 19. v. 6. Quod Deus conjunxit homo ne separet. At Deus in matrimonium conjunxit infideles. Ergo.*

25. Quare alterius personæ infidelitas, modò fidelem malitiosè non deserat, matrimonium ratum, & consummatum non dissolvit. 1. Dicitenim Christus *Matth. 5. vers. 32. cap. 19. vers. 9. Quicumque repudiaverit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium, & qui repudiatam duxerit, is adulterium committit* fornicatio igitur nõ spiritalis, sed corporalis est justa causa solvendi matrimonii. Atqui infidelitas non est scortatio corporalis. Ergo 2. Apostolus Paulus dicit, *1. Cor. 7. vers. 12. 13. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc assentitur, ut habitet cum illo, ne dimittat. Et mulier, que habet maritum infidelem, & is assentitur, ut habitet cum ea, ne dimittat illum.* Primò, quia persona infidelis sanctificatur per fidelem, vers. 14. Secundò, quia Deus in pace vocavit eos. Tertiò, quia fieri potest, ut persona infidelis cognoscens fidelis pietatem convertatur, & salvetur.

26. 3. Idem arguunt exempla: Nam in uxorem duxit Moses Ziporam Midianitam, *Exod. 2. Boozus Ruth Moabitam, Ruth. 4. Matt. 1. v. 5. ut de Davide jam nihil dicamus.* Ergo hujusmodi conjugia non sunt in totum prohibita, & consummata non sunt illicò dissolvenda.

27. *Obijcitur nobis primò authoritas juris Canonici, & Concilii Tridentini.*

28. *Resp. authoritates illæ non sunt fundamentum rerum credendarum, & faciendarum, sed solum verbum Dei: Scriptum enim est Deut. 22. v. 32. Quod tibi precipio, hoc facito, ne addas, neque auferas ex eo.*

29. *Secundo provocatur ad V. Testamentum: Nam Deus prohibuit populo suo matrimonia jungere cum Gentibus, Deut. 7. v. 3. 4. Ad daturq; causa moralis, quæ etiam nunc locum habet: Quia seducet, inquit Jehova, filium tuum ne sequatur me, & ut magis serviat Diis alienis. Et 3. Reg. 11. ubi idem præceptum repetitur, addit Deus: Certissimè avertent corda vestra, ut sequamini Deos alienos: Et ibidem additur, Salomonem contra hoc præceptum egisse, & illi continuò accidisse, quod Deus prædixerat: Depravatus enim per uxores illas ethnicas, adoravit earum idola. Es sanè si vir sapientissimus, & qui multas alias uxores habebat, per nova illa conjugia cum Gentilibus ita perverti potuit, ut singularum Deos coleret, quantum periculum iis imminet, qui unam tantum, eamq; ethnicam, vel hæreticam ducunt, & qui nullo modo sunt cum Salomone in prudentia, & sapientia comparandi, Bellarminus cap. 23. Ergo non licet fidelibus cum infidelibus, aut etiam hæreticis matrimonia jungere.*

30. *Resp. 1. Interdictum illud est Mosaicum & forense, & non morale. 2. Propositum illud erat populo Judaico ob promissum mulieris semen ex illo populo oriundum, ne videlicet familia confunderebatur. 3. In Novo igitur Testamento postquam diruta est maceria, quæ Judæi, & gentes dirimebantur, Christianos non obligat. 4. Interdictum illud non sine omni exceptione intelligendum esse, videre est ex Deut. 21. v. 11. & ex allegatis superiùs exemplis. 5. Ratio subjecta moralis non statim reddit præceptum morale, ut videre est ex mandato de pseudopropheta tollendis, cui subijcitur ratio moralis, sed nos in N. Testamento non obligat. 6. Exemplum Salomonis ostendit ejusmodi matrimonia esse valde periculosa, sed propterea non simpliciter possunt prohiberi, & contracta dissolvi.*

31. *Tertiò opponitur argumentum à Minori: Nam adulterium, seu scortatio corporalis dissolvit matrimoniū Matt. 5. v. 32. cap. 19. v. 9. Ergo multo magis infidelitas, quæ est scortatio spiritualis, & peccatum longè majus, quam scortatio corporalis.*

32. Resp. 1. Conjunctio animorum alia est spiritualis, quæ fit per fidem, & dissolvitur infidelitate; & alia est matrimonialis, cujus forma est obligatio ex mutuo consensu octa in arctissimam conjunctionem in unam carnem, & solvitur scortatione. 2. Infidelitas igitur absolute spectata est majus peccatum, quam corporalis scortatio, quia est peccatum primæ Decalogi tabulæ. At respectivè nimirum respectu conjugii considerata, omninò disendum est, quod adulterium magis pugnet cum conjugii forma, quam infidelitas.

33. *Quarto Deus conjunxit homines, inquit, non diversæ religionis, sed utrumq; justum, sanctum, & pium. Ergo, cum Dei & Christi actio sit nostra institutio, conjugium inter fidelem & infidelem tolerari nequit.*

34. Resp. Non confundendus est status ante lapsum cum statu post lapsum. Ante lapsum enim homo erat sanctus, integer, & justus. At ab ea sanctitate, & integritate defecit. Post lapsum igitur omnis homo est mendax. Itaque oportet esse hæeres, 1. Cor. 11. v. 19.

35. *Deniq; argumentantur adversarii ab adjunctis periculis: Periculum enim est, ne personæ infidelis pertrahat fidelem in suam opinionem, & hæresin, atq; liberos etiam ad perversam religionem tenendam instituat.*

36. Resp. 1. Periculosum ejusmodi esse conjugium, omnino largimur. Itaque potius est dissuadendum, quam suadendum. 2. Matrimonio jam consummato de remediis potius, quibus illis malis succurri possit, quam de dissolutione est cogitandum: Et liberi Deo, qui eos ad se venire jubet, sunt committendi. Fidelis enim ab infideli monente Apostolo, 1. Cor. 7. v. 13. discedere non debet, si infidelis cohabitare consentiat.

37. *At, inquit, si persona infidelis nolit habitare cum fidei conjugē, sed malitiosè discedat?*

38. Resp. Si reconciliatio institui nequeat, personæ hæc manent separatae. Imò in hoc casu fidelis infideli etiam conjugē vivente, potest nubere per sententiam Apostoli, 1. Cor. 7. v. 15. Quod si infidelis discedit, discedat: Non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.

39. *Pergis, si infidelis, inquit, voluerit quidem cohabitare fidei, sed non sine blasphemis, & tentet fidelem ad suam cogere religionem, quid faciendum?*

40. Resp. Adimatur infideli usus personæ fidelis tantisper dum illa

dum illa ad frugem redeat: Seu fiat separatio quoad thorum, & cohabitacionem, sed non quoad vinculum conjugale. At, inquires, si persona haec non habeant donum continentiae. Resp. Infidelis hoc sibi suisque impuret moribus. Fidelis petat donum à Deo, quod non habet, & impetrabit. Nam crux illa verè deploranda est ipsi imposita permittente Deo: Et Deus non finit suos supra vires tentari.

41. Quæstio secunda: An voto simplici matrimonium impediatur & solenni dirimatur?

42. Resp. Bellarminus lib. de Matrim. cap. 21. *Votum simplex, inquit, impedit matrimonium contrahendum Ibidem. Votum solenne dirimit matrimonium post ipsum votum celebratum.*

43. Contra docent Protestantes tantum abesse, ut vota papistica conjugium impediatur, & illud inritum dirimant, ut ne quidem sint legitima. Quare ita inferimus: Ad quod natura impellit, ab illo nemo voto debet arceri. Atqui ad conjugium natura sæpe impellit. Et non omnes capiunt verbum hoc, *Matth. 19. v. 11.* Ergo. Quodcunque igitur dogma laqueum injicit conscientiis, illud nequit placere Deo, *1. Cor. 7. v. 31.* Hoc dico secundum utilitatem vestram, non ut laqueum vobis injiciam. Atqui opinio illa papistica de votis injicit conscientiis laqueos, quia arcentur homines per illa vota à conjugio, ad quod Deus & natura hominem formavit, & instigat. Ergo.

44. *Dicis, nemini laqueum injici, cum nemo temerè, & invitus voteat sed libens, & libens vota nuncupet.*

45. Resp. Apostolus facit quidem *1. Cor. 7.* mentionem consilii, sed nullius voti. Et quamvis, qui vota faciunt à principio non cogantur, attamen postea animadvertentes servari à se non posse, quod promiserunt, laqueum sibi injectum esse persentiscunt.

46. 2. Nulla vota obligant Christianos, quæ contrariantur verbo Dei. Atqui vota illa papistica contrariantur verbo Dei, ut manifestum est ex hoc Apostoli, *hoc secundum indulgentiam, & non secundum imperium dico.* Ergo.

47. 3. Quod semel legitimè Deus conjunxit, nulli homines, ne ipsi quidem contrahentes, separare possunt, *Matt. 19. v. 6.* Atqui Deus maritum & uxorem in legitimo matrimonio viventes legitimè conjunxit. Ergo. Quare conjugium semel legitimè contractum, & ratum

ratum dissolvi nequit per votum, sive ab alterâ sive ab utraque personâ præstitum & ne quidem ex utriusque partis consensu.

48. *Questio tertia: An nulla calamitas matrimonium dissolvat?*

49. *Resp.* Adulterium, & malitiosa desertio sunt veræ divortii causæ. Præter has nullas licet fingere. Itaque nulla calamitas dissolvit matrimonium consummatum. Nam. 1. Is consensus facit legitimum matrimonium, qui est legi Dei conformis. Ut igitur non sunt aliæ confingendæ causæ matrimonii contrahendi, quam Deus verbo suo exposuit: Ita nec aliæ matrimonii consummati dissolvendi. 2. Verum enim est, & manet illud Christi, quod Deus conjunxit, homo ne separet.

50. *Frustra dixeris mutuo consensu matrimonium contrahi. Ergo mutuo dissensu dissolvi.* Nam Apostolus dicit, 1. Cor. 7. v. 4. 5. Mulier sui corporis potestatem non habet: Sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: Et iterum revertimini in id ipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Itaque non habent conjuges eandem libertatem in dissensione, quam habent in consensione, quia obligatio jam est facta.

51. *Sed opponuntur de calamitatibus speciales nonnulli casus. Primus est de impotentia, de qua queritur, annon matrimonium dissolvat?*

52. *Resp.* Ad hunc casum distinctè respondendum esse censemus: Aut enim vir frigidus, seu impotens, & mulier inepta fuit ante coalitionem in unam carnem. Aut redditur altera persona impotens post conjugium consummatum: Ad priorem casum in præcedentibus respondimus. De posteriori dicimus 1. Ex personis illis facta est una caro. 2. Calamitatem verò illa impotens, & inhabilis persona propriâ suâ culpâ sibi non accersivit. Persona igitur valens calamitatem illam constanter ferre, Deo que rem totam committere, eumque invocare debet, ut remedium concedere velit. Quod ipsum, ut pium & honestum, piam & honestam personam omnino decebit.

53. *Secundus de morbis contagiosis, utpote de lepra, & similibus de quibus queritur, num sint sufficientes divortii causa?*

54. *Resp.* Difficulter conjugium inter hujusmodi homines permittitur. Nam ejusmodi matrimonium conjunctum est cum magno Reipub. incommodo, siquidem ex leprosis nascuntur plerunq;

liberi leprâ infecti, & ex epilepticis epileptici. Satius igitur eſſet, ut homines iſtis morbis affecti ſuam agnoſcerent calamitatem, & ſibi eam propter antecedentia peccata immiſſam eſſe deplorarent, & proinde de conjugio ſolliciti non eſſent.

55. Verum ſi dona continentia, quod non omnibus eſt, datum, teſte Chriſto, *Matt. 19.* non fuerint præditi, denegari iſtis nequit ſimpliciter conjugium, ſi modò fuerint prius moniti, quod nunquam poſſint ſeparari, ſi ſemel fuerint conjuncti. Nam quod ſemel placuit, amplius diſplicere non poteſt. Admonitioni huic ſi locum non reliquerint, nihil obſtat, quò minus conjungi poſſint. 1. Teſtatur experientia, quam vivis declarare poſſumus exemplis, ex leproſiſ ſape naſci mundos. 2. Leproſi ad libidinem ſunt procliviores propter vehementiorem pruritum ab atrâ bile. 3. Hucreferunt illud alii ex Decret. Greg. lib. 4. Tit. 10. cap. 2. *Leproſi ſi continere nolunt, & aliquam, qua ſibi nubere velit, invenerit, liberum eſt eis ad matrimonium convolare.*

56. Quare, ut non lepra, ita nec alii morbi contagioſi verè matrimonium conſummatum diſſolvunt. Nam. 1. Ad matrimonium diſſolvendum culpa alterius perſonæ interveniat, neceſſe eſt. At morbus incurabilis non ſtatim ob alterutrius perſonæ immittitur culpam. Ergo. 2. Nemo propriam odit carnem, niſi manifeſtè impius, & legum violator. Conjuges verò ſunt una caro. Ergo conjunx conjugem deſerere, & odio habere non debet. Perſona igitur ſana condoleat, & patienter eam crucem ferat. 3. Cap. 2. Decret. Greg. libr. 4. Tit. 10. dicitur: *Quoniam nemini licet (excepta cauſa fornicationis) uxorem dimittere: conſtat quoddam ſive mulier lepra percuffa fuerit, ſeu alia gravi infirmitate detenta, non eſt à viro propterea ſeparanda, vel etiam dimittenda.* Limitamus verò canònem hunc dicentes, cum leproſi lege Moſaicâ, *Levit. 13. verſ. 46.* habitare extra caſtra ſint juſſi propter contagionem, ſe junctionem quoad thorum inſtitui poſſe, licet non quoad vinculum.

57. Quæſtio quarta: Num fornicatione, & malitioſa deſertione diſſolvatur matrimonium tantùm quoad thorum, & cohabitationem, & non quoad vinculum?

58. Reſp. Cauſæ aliæ matrimonium perturbant, ut ſunt morbi incurabiles, furor, rixæ, ſed non quoad vinculum ſeparant; Aliæ ſeparant, ut ſunt adulterium, & malitioſa deſertio.

59. Verum refractarios hoc loco ſe præbent Pontificii diſputantes

tantes ob dictas causas matrimonium quidem solvi quoad thorum, & cohabitationem, sed non quoad conjugale vinculum. Concilium Tridentini de Matrim. Can. 7. decretum hoc est: *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, & docet (juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam) propter adulterium alterius conjugum, matrimonii vinculum non posse dissolvi: & utrumque, veletiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere: macharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, & eam, qua dimisso adultero alii nupsit, anathema sit.* Videatur etiam Bellarminus lib. de Matr. c. 15. 16.

60. Refutamus verò opinionem illam Pontificiam primò manifestissimis Scripturæ testimoniis, Prius legitur Matth. 5. v. 32. cap. 19. v. 9. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, fecit eam machari, & qui dimissam duxerit, adulterat.* Hoc loco Christus de divortio quoad vinculum interrogatus, & agens abjectis reliquis, quæ à Phariseis prætendebantur causis, tradit veram causam, quæ est scortatio. Ergo scortatio est divortii causa non tantum quoad thorum, sed etiam quoad vinculum.

61. Exceptio Bellarmini cap. 17. hæc est: *Verba illa Matthæi. Nisi ob fornicationem, possunt accipi exceptivè, vel negativè: Et si quidem accipiantur exceptivè, tum respondendum est, Christum non loqui de dimissione quoad vinculum, sed solum quoad thorum, quando concedit dimissionem in causa fornicationis. Si verò accipiamus illa verba: Nisi ob fornicationem non exceptivè, sed negativè: tunc admittimus, Christum loqui de dimissione quoad vinculum: Sed negamus, concedi istam dimissionem in causa fornicationis, quia illud: Nisi ob fornicationem, non est exceptio, sed negatio: Negat enim Dominus licitam esse talem dimissionem sine causa fornicationis, sed non dicit esse licitam, si adsit causa fornicationis.*

67. Resp. 1. Diligenter observandum est quænam fuerit Phariseorum quæstio: De quo enim divortio interrogarunt Pharisei de eodem, respondit Christus, Matth. 19. alioqui responsio ejus non accommodata fuisset ad quæstionem. Atqui interrogarunt illi de divortio quoad vinculum. Ergo. Nam. Matth. 19. v. 3. quærunt Pharisei: *Licet ne homini divortium facere cum uxore sua, qualibet ex causa?* Respondet Christus vers. 4. 5. 6. Et remittit ad primam conjugii institutionem, ex eaque docet, quod conjuges non sint duo, sed una caro, hoc est, ætissimè devincti. Itaque pars una non debet dimittere alteram: Quod

enim Deus copulavit, homo ne separet. Opponunt Pharisei ver. 7. libellum repudii mosaicum, per quem dimissa priore conjugate licebat aliam. Deut. 24. *versic. 2.* Levit. 21. v. 7. 14. Jer. 3. *vers. 1.* Ezech. 44. *vers. 22.* Respondet *vers. 8.* Moses ad duritiam cordis vestri permisit vobis repudiare uxores vestras: Caterum ab initio non fuit sic. Demum plene & perspicue ad quaestionem respondens Pharisaeorum *versic. 9.* Dico vobis, inquit, quod quicumque repudiaverit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is committit adulterium, &c.

63. 3. Diligenter attendendum est ad Christi responsionem, ejusque loquendi formulam: Loquitur epim de unius dimissione, & alterius acceptione, docetque, quod non liceat unam dimittere, & aliam accipere, nisi ob fornicationem; *Matth. 19. versic. 9.* *Mar. 10. versic. 11.* *Luc. 16. versic. 18.* 3. Ex responsione illa a contratio sententia argumentamur: *Qui dimittit uxorem, excepta causa fornicationis, & aliam ducit, mæchatur. Ergo qui propter causam fornicationis dimittit uxorem, & aliam ducit, non mæchatur.*

64. 4. Exceptiones igitur Bellarmini, quarum varias hoc loco fingit, falsam nituntur hypothese quasi vinculum conjugale non rumpatur per adulterium. Pharisei solliciti non erant de dissolutione quoad thorum, sed quaestionem movebant de dissolutione vinculi conjugalis. 5. Exceptio Bellarmini posterior tollit priorem, quod vagabundi & inconstantis animi est signum. 6. Vocabula graeca *παρελθς*, & *ei μν* manifestissime notant exceptionem, ut & 1. *Sam. 20. versic. 39.* Puer hoc non sciebat, nisi tantum David, & *Jonathas. cap. 21. v. 9.* Non est hic alius gladius, praeter hunc 1. *Reg. 3. v. 18.* Nemo adfuit, nisi duo. *Act. 26. v. 29.* Optarim omnes fieri tales, qualis ego sum, exceptis his vinculis.

65. Contra Bellarminus, particulas *παρελθς*, & *ei μν* etiam aliter usurpari, quam exceptivè, probat ex *Apoc. 9. vers. 4.* Et praeceptum est illis, ne laderent fenum terra, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Illud, nisi, graece, *ei μν*, non potest accipi exceptivè, sed adversativè, nisi quis velithomines inter arbores connumerare. Et ex *cap. 21. v. 27.* Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitae. Nec hic particula, nisi potest accipi exceptivè. Nam sensus esset, aliquos coinquinatos intratos esse in regnum caelorum.

66. *Ex. 1.* Particulas illas aliter alibi accipi posse, non negamus  
Quaestio

Quæstio tantum est de locis, Matth. 5. & 19. 2. Quod ibi exceptivè usurpentur, intelligitur ex ipsa quæstione, & Christi responsione. 3. Remittimus Bellarmin. ad editionem vulgatam, à quâ Bellarminum ob Decretum concilii Tridentini, discedere non licet: Hæc enim Matth. 5. v. 32. expressè habet vocem exceptionis: Ita enim vertit vetus interpres: Qui dimiserit uxorem suam, *excepta fornicationis causa*. 4. Quem admodum illi tantum, qui scripti sunt in libro vitæ intrabunt in regnum cælorum: Ita etiam propter adulterium tantum licet dimittere uxorem. Vis igitur exceptionis est manifesta.

67. Deniq; Bellarminus, *quicumq; dimiserit, inquit, uxorem, excepta causa fornicationis, & duxerit aliam, machatur bis. Ergo qui dimiserit propter causam illam, & aliam duxerit, non machatur bis, sed semel.*

68. 1. Figmentum illud pugnat cū expressis Christi verbis ut patet ex eorum resolutione. 2. Plus infertur, quam erat in propositione convertenda, ex quâ sequitur, eū non bis peccare. Si inde inferre velis, eū semel peccare, negamus illationē, quia potest nullomodo peccare.

69. Posterius testimonium legitur, 1. Cor. 7. v. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat: Non n. servituti subjectus est frater, aut soror in huiusmodi.* Propositū est Apostolo informare Corinthios de dispari conjugio, & de virginitate. Disserit igitur de iis, qui discessionē quærebant propter malam conversationem conjugis. Itaq; dicit v. 10. *Illis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere.* v. 11. *Quod si discesserit, aut viro suo reconcilietur, aut manet innupta.* De viro idem est iudicium. v. 13, docet & pronunciat, si infidelis discedat, deseratq; fidelē, atq; ita de facto divortium existat, ut culpa resideat penes infidelem, fidelem desertam personam esse liberam, & servituti non subjectam. Uxor igitur lege alligatur viro viventi; Sed illo mortuo est libera. Ostenditur illa vocabuli *δεδύλωται* significatio ex Rom. 7. v. 2. Quare si infidelis persona tantum propter fidem Christianam, seu, odio religionis Christianæ discedit, discedat. Innocens verò persona à lege viri desertoris est libera, nec est adultera, si alteri nubat viro. Culpam enim personæ nocentis luere non debet persona innocens. Servituti igitur non est subjecta. Verè dicit Ambrosius in cap. 7. Epist. 1. ad Corinth. *Hoc Apostoli consilium est, ut si discesserit propter malam conversationem viri, jam innupta maneat, aut viro suo reconcilietur, quod si continere se, inquit, non potest, quia pugnare non vult contra carnem.* Ibidē: *Non debetur*

reuerentia conjugii, ei, qui horret authorem conjugii. Non enim ratum est matrimonium, quod sine Dei devotione est; ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit. Contumelia enim creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens, & in Deum, & in matrimonium peccare dinoscitur, quod noluit sub Dei devotione habere conjugium. Itaque non est fides servanda conjugii, qui idèd recessit, ne audiret authorem esse Christianorum Deum conjugii.

70. *Secundò argumentamur ex trita Maxima: Sublatà formà tollitur res ipsa. Atqui per fornicationem tollitur forma conjugii, quia duo non amplius manent una caro. Ergo. Vel ita: Ex ipsius Dei conjunctione conjuges sunt una caro, Gen. 2. v. 24. Erunt duo in carne unà. Matth. 19. v. 6. Jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo ne separet. Jam verò mulier, quæ scortatur fit una caro cum suo adultero, 1. Cor. 6. v. 16. An nescitis, quod qui adglutinatur scorto, unum corpus est. Ergo rumpitur vinculum unitatis. Ergo & sublata est unitas conjugii.*

71. *Opponunt Pontificii contra assertionem hæc objectiones nonnullas. Prima hæc est: Mulier vivente viro est sub lege, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri, vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, Rom. 7. v. 3. 1. Cor. 7. v. 39. Ergo vinculum conjugale dissolvitur non nisi per mortem.*

72. *Resp. Agit Apostolus in dictis illis de iis, quæ regulariter & ordinariè fieri debent in conjugio: Ergo excipiendus est casus, qui est contra ordinis regulam, cujusmodi est scortatio.*

73. *Secunda delimitur ex Mar. 16. v. 11. 2. Luc. 16. v. 18. Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mæchatur, & qui dimissam à viro ducit, mæchatur. Ergo matrimonium consummatum non solvitur inter viventes quoad vinculum: Et per consequens non licet ad alias nuptias transire.*

74. *Resp. 1. Quod unus Evangelista habet alter sæpè reticet. 2. Scriptura tota est una velut copulativa, & sibi nusquam contraria. Ergo quod uno in loco omittitur, per alia loca plenius, & perfectius explicatur. Itaque complenda est exceptio omissa apud Marcum & Lucam ex Matthæo. Nihil enim discriminis est, nisi quod alter altero distinctiùs proponit.*

75. *Quæstio quinta: An sola fornicatio si justa divortii causa?*

75. Resp.

76. Resp. Docet Servator *Matt. 5. v. 32. cap. 19. v. 9.* cum Pharisæis de causis divortii disputans, dissolvi matrimonium non nisi ob fornicationem; Apostolus verò *1. Cor. 7. v. 15.* dicit: *Si incredulus discedit, discedat, non est servituti subjectus frater aut soror.* Quomodo verò Apostoli assertio sit reconcilianda cum dicto servatoris, quaeritur inter doctos. Quidam reconciliationis fundamentum quaerunt in verbis Servatoris; Alii in verbis Apostoli.

77. Illorum nonnulli *vocabulum fornicationis* *synecdochicè* à Christo usurpatum esse censent, atque illo denotari quodcumque aliud maleficium, aut adulterio gravius, aut æquè grave idque more Hebræorum, quibus omne crimen, quo ab alienamus nos ab eo, cui obedientiam debemus, vocabulo fornicationis significatur ut *Deut. 31. v. 16.* populos dicitur fornicari post Deos alienos hoc est vero Deo derelicto sequi, & colere Deos alienos; Sed respuit explicationem hanc clara littera, & ostendi nequit in hoc casu *Synecdoche* illa ex scriptura.

78. Alii *particulam ei* *non* oppositam esse statuunt non malitiosæ desertioni; sed consuetudini Judæorum propter quasvis levissimas causas divortium facientium, & concedentium.

79. Qui reconciliationis fundamentum petunt ex verbis Apostoli, horum quidam censent subintelligendam esse fornicationem: Si enim persona altera discedat, & reconciliari alteri nolit, sed scortetur, debet, inquiunt, manere innupta; Sed aliena ea est interpretatio à scopo Apostoli Agit enim ipse non de corporali fornicatione, sed de virginitate & de conjugio infidelis, & fidelis, ut in analysi ostendimus.

80. Alii, Dominus, inquiunt, per Apostolum est locutus. Itaque Dominus ipse addidit alteram divortii causam. Quidam opinantur ex diversitate quaestionum solvi posse apparentem contradictionem: Nam Apostolus agit, inquiunt, de infidelitate & fornicatione spirituali; Christus de fornicatione corporali: Proinde non esse eundem respectum.

81. Commodissimam eorum censemus esse reconciliationem, qui docent, Christum agere de divortio faciendo; Apostolum de divortio facto. Christum agere de causa ob quam liceat dimittere uxorem; Apostolum proponere factum, seu casum malitiosæ desertionis.

82. Quod

82. Quod si igitur homo infidelis, & *æque* nullâ honesta, aut necessariâ coactus causâ, sed malitiâ & temerariâ levitate liberos & conjuges deserens, odio religionis Christianæ in peregrinis locis hinc inde vagetur, malitiosa hæc desertio est legitima divortii causâ, *1. Cor. 7. v. 15.* Nam. 1. propter aliena delicta conscientia laquei personæ fideli non sunt injiciendi. 2. Pars innocens propter alterius culpam jure suo non est privanda.

83. Monet verò B. Lutherus *Tom. 5. Jen. p. 254.* non quamlibet desertionem esse causam divortii, ut in sententia Protestantium etiam indicavimus. Nam si maritus propter commodum aliquod abest, communiter ferendum est damnum, sive captivus teneatur, sive morbo impediatur, sive relegatur. Cum enim conjuges sint unum corpus, & una caro. Ejusmodi mala communiter ferant, oportet. Cui enim solvendo non erat, jubetur vendere uxorem, &

liberos. *Matt. 18. v. 25.* Tantum de conjugio cui benedicat Dominus, precamur, Amen.

### Finis Disputationis XXXIX.





## DISPUTATIO XL.

## QUÆ EST DE IMAGINE DEI, ET IUSTITIA

originali primi hominis

prima

Resp. Ægidio Spörcken Hundesburgensi Saxone

## T H E S I S I.



Ultis collationibus consideravimus hætenus quomodo Pontificii oppugnent Christi Personam, & officium. Restat igitur, ut inquiramus quomodo oppugnent Dei & Christi beneficia. Ut ordine de his agamus, examinabimus ipsorum errores de imagine Dei in primo homine, seu de gratiæ collatione, de gratiæ collatæ amissione, & denique de ejus reparatione. Contemplationem istam summè necessariam & fructuosam esse, quotidianâ hac suâ precatatione docuit Augustinus: *Domine da mihi nosse me, nosse te, Et in Manuali scribit c. 26. Quid est cognitio veritatis? Primo cognoscere te ipsum. Deinde cognoscere creatorem tuum.* Isidorus lib. 1. de summo bono, *O homo, inquit, quid miraris syderum altitudines, & profunditatem maris? Animi tui abyssum intra & mirare, si potes. Quamobrè propriam nostrâ naturam probe consideremus, oportet, ne in nos cadat querela Bernardi in lib. de Anim. c. 1. Multi multa sciunt, & se ipsos nesciunt: Alios inspiciunt, & se ipsos deserunt.* Cognitio verò hominis est vel Physica, vel Theologica: Illa consistit in essentiæ, partiumque consideratione: Hæc in diversorum statuum indagatone: Illa scientiam parat; hæc ad salutem viam monstrat. De hac acturi initium facimus à consideratione imaginis Dei in primo homine.

## SENTENTIA PROTESTANTIUM

2. Imago igitur Dei, ad quam homo erat conditus consistebat in iustitia, & sanctitate veritatis, Eph. 4. v. 24. Vel: Imago Dei in homine erat e-

Zzzz

lens, &amp;

lens, & specialis quadam conformitas hominis cum Deo prototypo.

3. Non est igitur imago hæc substantialis, ut Filius Dei, qui est ejusdem essentia cum Patre; Col. 1. v. 15. Sed accidentalis; Unde homo non exquisitè dicitur ipsa Dei imago; Sed ad imaginem, & similitudinem Dei factus; Gen. 1. v. 29. v. 7. cap. 5. v. 1. Nyssenus lib. de homine cap. 17. dicit: Scriptura cum ad imaginem Dei hominem factum tetulit, generali quadam voce vniversa simul complectitur: Idem enim est hoc, ac si diceret, humanam naturam omnis boni factam esse participem. Thomas satis barbarè dicit par. 1. quæst. 93. Art. 3. Imaginem dici, quasi imitagem, quod prototypum repræsentare, & imitari debeat.

4. Causa efficiens imaginis Dei in homine est ipse Deus, qui hominem ad imaginem suam creavit, Gen. 1. v. 26. 27. 6. 5. v. 1. Sap. 2. v. 25. Syr. 17. v. 1. Col. 3. v. 10.

5. Formale imaginis hujus inquisitioni præsupponimus, constituisse illud non in substantialibus; Sed in accidentalibus; Nec in his, quæ in homine post lapsum manserunt reliqua: Est enim imago per lapsum penitus amissa. In locum sapientiæ, & lucis concretae successerunt tenebræ. Inde Christus dicitur lux in tenebris, Job. 1. v. 8. Converteri nos dicimus à tenebris, Act. 26. v. 18. Habemus intellectum tenebris obscuratum, Eph. 4. v. 8. Naturâ sumus tenebræ Eph. 5. v. 8. Sapientia carnis est inimicitia adversus Deum, Rom. 8. v. 7. Vivimus in temporibus ignorantia, Act. 17. v. 30. Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, 2. Cor. 3. v. 5. Itaque πᾶν νόημα captivandum est in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. Tanta igitur cæcitas, & ignorantia declarat primævam sapientiam esse deperditam. Voluntas itidem est depravata: Cor hominis in primo statu erat rectum, sanctum, & legi Dei conforme. Sed justitia & sanctitas veritatis est amissa: Sumus mortui in peccatis, Job. 5. v. 15. Col. 2. v. 13. Eph. 2. v. 1. Omne figmentum cordis tantum malum est omni die; Gen. 6. v. 5. A primâ pueritia, Gen. 8. v. 1. In peccatis concipimur, Psal. 51. v. 6. Immundi de immundis, Job 14. v. 4. Caro de carne, Job. 3. v. 6. Cor habemus lapideum, Ezech. 36. v. 20. Non est igitur justus quisquam. Non est intelligens, non est requirrens Deum. Omnes simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usq; ad unum, Psal. 14. Rom. 3.

6. His præmissis imaginem Dei in homine considerari dicimus ab-

mus absolute, vel relate. Seu in predicamento Qualitatis, & Relationis, sicut & ipsum peccatum, quod successit imagini deperditæ.

7. Formale imaginis Dei absolutæ consideratæ est omnium facultatum, & virtutum integritas, atque perfectitudo, utpote in intellectu, sapientia, in voluntate, iustitia, in appetitu cupiditatum cum recta ratione consonantia. Vel, Lux divinæ agnitionis in mente, conformitas perfecta cum lege Dei in voluntate; Rectitudo omnium animæ virtutum, & affectuum in corde.

8. Imaginis Dei relativæ consideratæ materiale est ipsa potentiarum integritas; formale est gratiosa Dei inhabitatio, & gratuita personæ acceptatio. Nam ne quidem in statu perfectionis homo suis operibus gratiam Dei promerisset, sed gratuito à Deo, qui ipsum in iustitiâ & sanctitate veritatis condiderat, obtinisset.

9. Non est verò ratio imaginis Dei in una aliqua similitudine hominis cum Deo, sed in omnibus indaganda, & consideranda. Non igitur per solam sapientiam, nec per solam sanctitatem, neque per solam immortalitatem est describenda.

10. Nam conformitas hominis cum Deo prototypo erat principalis, vel minus principalis. Principalis conformitas erat in animæ facultatibus, utpote in intellectu & appetitu. Intellectu homo Deum resque omnes perfectè cognoscebat, & sic Dei sapientiam representabat.

11. Appetitus est rationalis, vel sensitivus. Appetitus rationalis est voluntas, in hac erat naturalis ad omne bonum propensio, & rei volitæ libera, & prompta executio. Voluntas hominis Dei sanctitatem, & libertatem representabat. In appetitu sensitivo erat miracupitatum, & affectuum cum rectâ ratione consensus, quæ excellentiæ, iustitiæ vel excellentiæ nomine nominantur.

12. Minus principalis hominis cum Deo conformitas erat in toto homine, & in conditione corporis, non quidem respectu substantiæ, & staturæ; Sed respectu nonnullarum qualitaturn, & affectionum, utpote. 1. respectu conditionis corporis, quod Dei immortalitatem, & impassibilitatem referebat. 2. respectu conditionis, externi domini, quod Dei potestatem representabat.

13. Subjectum imaginis Dei principale est anima, minus principale corpus. Quemadmodum enim & totus homo, & totum ho-

minis est subjectum peccati, & renovationis, ita & imaginis Dei. Nam imago Dei in homine erat conformitas intellectus cum Dei sapientia. Erat conformitas voluntatis cum Dei iustitiâ: Erat conformitas appetitus cum Dei castitate, & sanctitate, & impassibilitate.

14. Finis primi huius hominis status principalis fuit creatoris gloria, *Proverb. 16. v. 4. Psal. 115. v. 1. 1. Cor. 10. v. 31.* Minus principalis fuit hominis beatitudo, & felicitas.

15. Dissentanea sunt schismata & hæreses à variis de imagine Dei in homine motæ. Manichæi totum Vetus Testamentum abjicientes imaginem Dei in homine non admiserunt, videatur Augustinus in *Genes. contra Manich. c. 17.* Epiphanius opinatus est, ubi, & quid fuerit imago Dei, ignotum esse, videatur. Augustinus libr. 3. hæres. 70. Alii in re ipsa errantes imaginem hanc reulerunt vel ad Prædicamentum substantiæ, vel ad Prædicamentum Accidentis, nimis strictè accidens illud explicantes. Origeniani nomine imaginis intellexerunt humanitatem Christi, ad cuius imaginem nos creatos esse dixerunt, videatur Augustinus de *Genes. ad lit. capit. 16.* Eugubinus opinatus est, Deum, cum creare vellet hominem assumpsisse formam humanam, & in ea dixisse, faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Flaciani sicut peccatum, quod imagini amissæ successit, ita & ipsam imaginem referebant ad prædicamentum substantiæ. Chrysostomus nomine imaginis Dei intellexit *Homil. 7. ad populum, principatum, & dominium.* Anthromorphitæ in structurâ, figurâ, lineamentis corporeis imaginem DEI ponebant, videatur Augustinus de hæresib. c. 57. Theodoretus quæstion. 20. in *Genes.* opinatus est imaginem Dei consistere in animâ ejusque facultatibus. Examinabimus nos errores, & opiniones Pontificiorum.

SENTENTIA PONTIFICIORUM

16. Imago in Adamo fuit diversa à similitudine: Nam imago notabat substantiam animæ, ejusque facultates; Similitudo dona, & perfectiones facultatum, nempe sapientiam mentis, justitiam voluntatis, &c. Bellarminus scribit libr. de *Grat. prim. hom. capit. 2.* Non est omninò idem imago, & similitudo; Sed imago ad naturam

naturam, similitudo ad virtutes pertinet: Proinde Adamus peccando non imaginem Dei, sed similitudinem perdidit.

17. Thomas Stapletonus in Expl. Cath. Loc. Com. pagin. 4. Factus est ergo homo ad imaginem Dei, inquit, & similitudinem secundum mentem, qua irrationabilibus antecellit; Sed ad imaginem secundum memoriam, & intelligentiam, & dilectionem; Ad similitudinem autem secundum innocentiam, & justitiam, qua in mente rationali naturaliter sunt. Ac idcirco similitudo quadam imaginis perfectio videtur; quoniam gratia perficit naturam.

18. Et pagin. 5. Aliud est imago, & aliud similitudo; Imago namque substantialia, & naturalia refert; Similitudo autem qualitatem sive gratiam, aut donum huic naturae datum significat. Amisit homo non imaginem, sed similitudinem.

STATUS CONTROVER-  
SIAE

19. Utilissima, & maximè necessaria est doctrina de imagine Dei in primo homine, quippe quae est fundamentum subsequentiū controversiarum de peccato, de libero arbitrio, de praedestinatione, de justificatione, & bonis operibus. Diligenter igitur erat tractanda; Sed Bellarminus admodum in hac materiā est jejunus, multa curiosa, & fabulosa tradit de Paradiso, & aliis, doctrinam de imagine Dei in homine digito non attingit, justitiam originalem potissimum in refrenatione carnis constituit. Ordine de istis agemus.

20. Quaestio prima: Quot sint hominis status?

21. Respond. Bernardus status hominis probè cognoscendos esse monens eleganter dicit libr. de Animā capit. 65. Discite quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris. Quid fueris per naturam, quid modò sis per culpam, quid esse debueris per industriam, quid adhuc esse possis per gratiam. Status igitur hominis hoc loco brevissimè annotabimus, prolixius de iisdem agemus in subsequentibus.

22. Est igitur status natura humana conditio, dispositio, & modus. De statibus hominis Theologi nostri agentes in re ipsa planè conveniunt, licet eos aliter atque aliter enarrant, & efferant. Nam nonnulli tres, nonnulli quatuor, nonnulli quinque numerant status.

23. Tres hoc ordine recensentur. Primus fuit naturæ in Adamo ante lapsum instituta. Secundus naturæ in Adamo, & liberis post lapsum destituta. Tertius naturæ per Christum in renatis restituta. Ille à quibusdam nominatur status confectionis; iste defectionis; hic refectionis.

24. Quatuor hoc ordine numerantur: Primus status fuit integritatis ante lapsum. Secundus corruptionis post lapsum. Tertius instaurationis per Christum. Quartus æternæ durationis post hanc vitam, qui est beatorum, & damnatorum. Vel ita: Primus status agit de gratiæ collatione. Secundus de gratiæ amissione. Tertius de amissæ gratiæ restauratione. Quartus de restauratæ gratiæ consummatione.

25. Quinque recensentur hoc modo: Status primus fuit innocentia. Secundus miseria. Tertius gratiæ. Quartus gloriæ. Quintus ignominia. Seu: primus fuit naturæ integræ. Secundus corruptæ. Tertius restauratæ. Quartus glorificatæ. Quintus damnatæ.

26. Vel: Status hominis est in hac vitâ dum est in via, vel in altera vita, quando pervenit ad metam & est in patria. In hac vitâ status hominis est duplex: Unus naturæ; alter gratiæ. Status natura itidem est duplex: vel naturæ institutæ, & integræ; vel naturæ destitutæ, & corruptæ. Post hanc vitam status alius erit beatorum, nempe gloriæ, alius damnatorum nempe ignominia.

27. Ex his apparet in re ipsa summam esse consensionem. Nam tres sunt status, si hominum conditiones in hac vitâ tantum considerentur. Quatuor, si status post mortem annumeretur, & non subdividatur. Quinque si omnium hominum conditiones exponantur.

28. Quæstio secunda: *An imago Dei in Adamo fuerit diversa à similitudine?*

29. Resp. Similitudo differt ab imagine non tanquam res à re, sed tanquam explicans ab explicato, arguens, & exegesis ab arguto. Vocabulum enim similitudinis tanquam posterius explicat vocabulum imaginis tanquam prius, ut sit sensus, hominem esse conditum ad imaginem similitam. Nam hebræi saepe conjungunt duo substantiva, ubi alterum habet significationem adjectivi; ut Jer. 19. *vers. 11.* Dabo vobis finem, & expectationem, hoc est, finem expectatum. Verissimam

rissimam hanc esse interpretationem indicat litera  $\gamma$  quæ est nota similitudinis. Quare *Gen. 1. v. 26.* vocabulum similitudinis subicitur vocabulo imaginis non distinctionis, sed explicationis, & limitationis ergò. Nam non omnis imago similis est prototypo, & ipsa ratio imaginis multiplex excogitari potest. Nohit verò Deus vagari mentes humanas investigatione veræ sententiæ; sed eam additâ voce similitudinis limitavit, ut ostenderet, talem fuisse hominem primò conditum ut in ipso imago per omnia similis creatori cerneretur. Alii notant vocabulum similitudinis subici vocabulo imaginis, ut finis creati hominis illa phrasi ostendatur: Conditus enim est, non ad hanc tantum vitam instar cæterorum viventium, sed ut in omni æternitate in ipso veluti speculo divinæ sapientiæ, justitiæ, & perfectioris radii emicarent.

30. Confirmamus sententiam hanc i. à decreti executione: Nam executio decreti ipsi decreto consonat: Si enim similitudo significat quoddam diversum ab imagine, sequitur illud non tantum in decreto, sed etiam in ejus executione expressè doceri. Atqui non docetur: Nam in decreto utraque vox ponitur, *Gen. 1. v. 26.* In executione vero *vers. 27.* omittitur vox similitudinis, & bis repetitur vox imaginis. *Gen. 5. vers. 1.* omisâ voce imaginis legitur vox similitudinis. Utrobique nihilominus ob consonantiam decreti, & executionis idem dicitur. Voces igitur istæ non res diversas, sed rem unam & eandem definiunt.

31. Opinatur *Basilius Hom. 10. Hexam. Tom. 2. pag. 19.* idè nullam in executione factam esse mentionem similitudinis, quod ipsa natura mentis, & voluntatis à Deo solo fieri potuit; Similitudo verò, quæ in virtute, & probitate consistit à nobis etiam acquiri queat. Ergo ad imaginem Dei nos creatos esse actus, ad similitudinem tantum potentiâ. Imaginem nos habere natura; Similitudinem verò potestate nostra. Mihi, inquit, reliquit, ut secundum similitudinem Dei sum.

32. Resp. Pugnât exceptio & expositio hæc cum facto Dei: Nam Deus non tantum potentiâ, sed ipso actu fecit hominem ad similitudinem suam, *Gen. 5. v. 1. In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Ergo Deus homini non præcepit, ut semetipsum faciat ad similitudinem Dei, sed ipse eum hoc modo fecit. Deinde pugnât opinio illa cum textu Paulino: Siquidem quod Deus omnipotenti suæ operationi vendicat, illud hominis potestati non reliquit.

liquit. Decrevit autem hominem ad imaginem, & similitudinem suam facere. Ergo. Imò gratia Dei nos sola convertit, & ad opera bona facienda idoneos reddit; Contraria igitur opinio illa est gratiæ Dei, & plane Pelagiana. Denique pugnat cum opinione Jesuitarum, qui similitudinem interpretantur de donis supernaturalibus. Ergo Jesuitas non juvat.

33. 2. *A permutatione vocabulorum*: Spiritus S. in Scripturâ promiscuè loquitur, & modo utrumque vocabulum in eodem casu tradit, ut *Gen. 1. v. 26. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Modò in diverso casu, ut *Sap. 2. v. 23. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis sue fecit illum.* Modò omittit vocem similitudinis, & tantùm vocis imaginis mentionem facit, ut *Gen. 1. v. 27. Et contrâ cap. 5. v. 1. Hac igitur permutatione docemur imaginem, & similitudinem hoc loco esse synonyma.*

34. 3. *A Collatione hominum post lapsum generatorum, & ante lapsum creatorum*: Nam quemadmodum Deus *Gen. 1. v. 26. Hominem ad imaginem, & similitudinem suam creavit*: ita Adamus *Gen. 5. v. 3. Sethum ad imaginem & similitudinem suam genuit.* Atqui Adamus genuit Sethum ad imaginem, & similitudinem suam, quæ tum in ipso erat, nempe peccato, iræ, & maledictioni Dei obnoxiam. Atqui sic non significat imago rem à similitudine diversam. Ergo nec rem diversam significat, ubi Deus dicitur hominem ad imaginem, & similitudinem suam creasse.

35. 4. *A renovatione*: Qualis est imago in homine renovato, talis etiam fuit ante lapsum in primo homine creato. Atqui imago hominis renovati describitur non per animæ essentiam, sed per novas qualitates, ut *Col. 3. v. 9. 10. Nolite mentiri invicem, expolientes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem Dei secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Eph. 4. v. 23. 24. Renovamini Spiritus mentis vestre, & induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.*

36. 5. Percrius igitur Jesuita lib. 4. in genesin. pag. 14. 115. Manifestum est, inquit, harum vocum, imaginis, & similitudinis, eandem esse vim, & significationem, ejusque hoc loco ad idem significantius, expressius, & illustrius declarandum esse positas.

37. Verum Bellarminus, & alii Pontificii magnum fingunt discrimen

**D**iscrimina inter imaginem, & similitudinem Nam appellatione imaginis opinantur notari substantiam animæ, ejusque facultates, appellatione similitudinis dona & perfectiones facultatum, utpote sapientiam mentis, & justitiam voluntatis.

38. Confirmare Bellarminus opinionem illam conatur aliquot Patrum testimoniis. Quibus in medium prolati concludit, imaginem esse diversam à similitudine, & illam ad naturam, hanc ad virtutes pertinere. Non illam, sed hanc esse deperditam.

39. Resp. i. Patrum testimonia non sunt præferenda, sed postponenda Scripturæ. Sensus enim Scripturæ non debet ædificari super Patres, sed Patres super Scripturam. Cyprianus lib. 2. Epist. 3. scribit. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid ille, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Augustinus dicit in præmio lib. 3. de Trinit. Noli meis literis, quasi scripturis canonicis inservire. Sed in illis, quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede. In istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmè tenere. Et ad Paulinam Epist. CXII. Nolo, auctoritatem meam sequaris, ut idè tibi putes aliquid necesse esse credere, quoniam à me dicitur, sed aut scripturis canonicis credas, si quid nondum quod verum sit vides, aut interius demonstranti veritati, ut hoc planè videas. Et ad Hieronymum Epist. 19. Ego fateor charitati tuæ, solis eis scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremq; deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse, firmè credam. At si in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendosum esse codicem, vel interpretem non affectum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaq; præpolleant, non idè verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

40. 2. Non omnes Patres ita exposuerunt. Pererius Pontificius istorum Patrum expositiones non admittit. Lombardus refert lib. 2. dist. 10. lit. c. Quosdam nomine imaginis Filium Dei, nomine similitudinis Spiritum S. intellexisse, 3. Et Patres nonnulli sæpe populariter, atque generaliter hac de re sunt locuti; non verò exquisitè, & propriè.

41. Regerunt ipsi, & imago, inquit, Dei in homine non est. At similitudo est amissa. Ergo imago non est idem, quod similitudo: Et per consequens imago pertinet ad naturam; Similitudo verò ad supernaturalia dona. Majorem probant ex testimoniis Scriptura, in quibus dicitur homo conditus ad imaginem Dei etiam post lapsum, ut Genes. 9. versic. 6. Quicumque fuderit sanguinem humanum, sanguis illius fundetur, ad imaginem quippe Dei factus est homo. 1. Corinth. 11. versic. 7. 8. Vir non debet velare caput suum, cum is imago sit, & gloria Dei: At mulier gloria viri est. Non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro. Jac. 3. versic. 9. In ipsa benedicimus Deum, & Patrem. Et in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem, & similitudinem Dei, facti sunt.

42. Resp. 1. Imaginem Dei in homine per lapsum penitus esse amissam, licet rudera quaedam de magno ædificio, & velut scintillæ de ingenti flamma remanserint, ostendit ignorantia mentis & pravitas voluntatis, ipsa descriptio privationis, Psalm. 14. Roman. 3. Arguit ipsa restauratio: Ad imaginem enim Dei per Spiritum Sanct. renovamur, & quidem per prioris formæ transmutationem: Ergo utique est amissa, & deperdita: Non restituitur, quod non est amissum, sed quod est retentum. At Apostolus 2. Corinth. 3. versic. 8. dicit: Nos omnes resecta facie ad gloriam Domini in speculo representantes, ad eandem imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquam à Domini Spiritu.

43. 2. Rectè igitur scribit Basilius in Psalm. 48. Homo postquam supercælestis opificis imaginem amisit, terreni similitudinem assumpsit. Et Origines Homil. 1. in Genes. Homo maligni imaginem adduxit per peccatum: ideo Christus venit in similitudine hominum factus, ut nos ad ejus imaginem reformemur.

44. 3. Imago dicitur vel generaliter, & latè, vel specialiter propriè, & strictè: In generali significatione est quaedam conformitas animæ cum Deo, quatenus est substantia spiritualis, immortalis, &c. & hæc imago non est deperdita, sed semper manet; Sed hinc non sequitur, mansisse etiam imaginem, quæ definitur justitiâ, & sanctitate veritatis. 4. Verum cum testimonia illa allegata loquantur, non de generatione, sed de ipsâ creatione, cumque non amplius creemur, sed generemur, proinde non incommodè de imagine

gine speciali, & propriè dictâ ab aliis exponuntur, nimirum de primâ Adami, & totius humani generis in Adamo conditione, non de quorumvis in individuo subsequente generatione. Quemadmodum enim omnes in Adamo, ut in capite peccarunt, & inde omnes peccatis sunt polluti & immundi: Ita etiam in ipso omnes ad imaginem Dei sunt creati.

45. 5. Nec propterea absurdi sunt illi, qui exponunt ea de singulis individuis, sed quoad rudera post lapsum adhuc reliqua, quæ sunt notitiæ naturales, & *κρίσιμα*, quibus honestum à turpi, iustum ab injusto discernitur. Hæc igitur ratio tam homicidam, quam interfectum respicit: Homicida enim in se descendat, ipsumque à cæde humanâ revocare debent notitiæ illæ naturales, quæ unicuique dictitant, homines non esse iugulandos. Hoc dictamen, quod est conscientiæ particula, qui negligunt, eos conscientiæ stimuli miserrimè exagitant. Poëtæ nuncupant Furias, de quibus Tullius pro S. Roscio: *Sua quemque fraus, & suus error maxime vexat, suum quemque scelus exagitat, avertentiaque afficit: sua mala cogitationes, conscientis que animi terrent.*

46. 6. Denique intelligi potest imago per Christum restituta, quæ vel in nobis adesse debet, vel adest, non ex generatione, sed ex regeneratione: Reparatur enim in nobis in hac vitâ inchoatè per verbum, & Spiritum Sanctum, in vitâ futurâ consummatè.

47. Quare homo post lapsum dicitur creatus ad imaginem Dei vel respectu generalis significationis, & conformitatis; vel respectu capitis Adami; vel respectu ruderum, & quarundam particularum reliquiarum: vel respectu restitutionis per Christum.

48. *At inquis, cuius adhuc supersunt rudera, illud totaliter non est deperditum. At imaginis Dei adhuc supersunt rudera. Ergo totaliter non est deperdita.*

49. Respond. 1. Rudera illa ad materiale imaginis Dei sunt referenda. Formale enim ejus est amissum: Amissa est plena omnium facultatum integritas: amissa est gratia Dei: Et periit totum in rebus divinis liberum arbitrium. At sublato formali tollitur & formatum. Sublatum verò est formale imaginis Dei,

Aaaaa 2

Ergo. 2.

Ergo. 2. Quemadmodum totum ædificium dicitur devastatum, quando formam suam amisit, & solo est adæquatum, licet lapides & rudera quædam materialia manserint reliqua: Ita tota imaginis formâ deperditâ, & ipsa imago tota rectè dicitur amissa.

49. Quæstio tertia: Num imago Dei in primo homine fuerit ipsa primi hominis substantia?

50. Resp. Attingemus hoc loco errorem Flacii occasionem fumentes ex quæstione præcedente. Matthias igitur Flacius Illyricus publicè disputans contra Victorinum Strigelio de libero arbitrio in rebus divinis, in errorem illum gravissimum de peccato, Substantiæ Classi annumerando, in Disputat. Vinarienti est lapsus. Peccatum verò, quoniam successit imagini Dei, idèd & eam hominis substantiam, & in primis animam rationalem fuisse contendit. Scribit enim part. 2. Clav. Script. Tract. 6. p. 482. *Loquor de ea nobilissima substantiali forma, ad quam præcipuè ipsum cor, aut potius anima rationalis formata erat, ita ut ipsa sua essentia esset Dei imago. Et pag. 489. Deus condidit ipsum hominem ad imaginem suam non tantum ejus accidentia*

51. Quare non dilquirimus, annòd Flacius tam absurdè sentierit, ut locutus est, & scripsit: Ne negamus Flacii discipulos ipso Flacio longè fuisse absurdiores. Deploramus, quòd tantus vir tam spissum & absurdum errorem palliare conatus fuerit.

52. Essè enim manifestum errorem paucis ostendimus, & quidem primò, à *restauracione imaginis Dei*: Ad quod nos restauramur, illud fuit imago Dei in primo homine. Atqui nos restauramur non per substantialem immutationem ad novam substantiam, sed per accidentalem renovationem constantem verâ justitiâ, & sanctitate, atque sic ad novas qualitates, 2. Corinth. 3. vers. 8. Eph. 4. v. 24. Col. 3. vers. 10. Ergo.

53. Secundò, ab *enumeracione rerum substantialium in primo homine*. Si enim imago Dei in primo homine fuit substantia, consequens est, aut fuisse eam peculiarem substantiam, ab ipsâ hominis substantiâ diversam; aut ipsum totum hominem; aut partem hominis, aut partem animæ; aut animæ particulam. Atqui imago Dei nihil istorum fuit in primo homine. Ergo.

54. *Non fuit substantia peculiaris, ab ipsa hominis substantia diversa.* Nam à contrario sensu sequeretur, peccatum, quod successit in locum ima-

cum imaginis Dei, esse etiam substantiam, cum contrariorum eadem sit ratio. Jam vero substantiarum creator non est Diabolus, qui ne quidem substantiam in substantiam potest transmutare Exod. 7. v. 19. Sed solus Deus, qui gloriam suam non dabit alteri. Ergo si peccatum originis est substantia, erit ejus creator Deus; & Θεος hoc.

55. *Imago Dei in homine non fuit tota hominis substantia.* 1. Adamus enim hac ratione post lapsum substantialiter esset immutatus, & substantialiter alius homo factus, cum imago Dei sit deperdita, cui imago Satanae successit. 2. Peccatum originis, quod successit in locum imaginis Dei, esset etiam substantia, cum contrariorum eadem sit ratio. Jam vero substantiarum creator non est diabolus, qui ne quidem substantiam in substantiam potest transmutare Ex 7. v. 19. sed solus Deus, qui gloriam suam non dabit alteri. Ergo si peccatum originis est substantia, erit ejus creator Deus.

56. *Imago Dei in homine non fuit tota hominis substantia.* 1. Quia cum imago Dei sit deperdita, & imago Dei acquisita, sequitur Adamum post lapsum substantialiter esse immutatum, & alium hominem factum. 2. Quia peccatum originis quod successit in locum imaginis Dei deperditæ esset ipsa hominis substantia. 3. Quia homo ratione substantiæ suæ fuisset Deus: substantialis enim imago Dei, Deus est Heb. 1. v. 3. Col. 1. v. 15. 4. Quia peccatum originale non commaculasset primum Adamum nec miseria illa pertineret ad primum, quippe cum post lapsum esset specie & substantia diversus. 3. Quia Christus non redimisset initio à Deo creatum sed alium substantia diversum fraude Diaboli productum.

57. *Imago Dei in homine non fuit corpus, nec corporis particula.* 1. Quia sequeretur Deum esse corporeum, cuius imaginem homo gerebat, Deus autem Spiritus est, nec carnem nec ossa habens Luc. 24. ver. 39. 2. Quia imagine Dei amissâ, ipsum corpus quoque fuisset amissum. 3. Quia Anthropomorphitarum hæresis esset rata habenda.

58. *Imago Dei non fuit anima, nec ejus particula,* 1. Quia destructâ imagine Dei, destructa esset anima, ideoque anima nostra cum primi Adami anima non esset ejusdem substantiæ, nec ipse stirpem totius generis humani sustineret, neque Christus animam nostræ animæ consubstantialem assumpsisset, & sic nos non redimisset: quod

enim non est assumptum, non est curatum. 2. Anima cum sit Spiritus, partem extra partem non habet. Ergo imago illa non erat animæ particula. 3. Quia è contrario peccatum particula esset animæ, ideoque non totam naturam hominis persuasisset, & commaculasset, neque totus homo iræ Dei & æternæ damnationis esset reus.

59. Brevius ab absurdorum collectione hoc modo argumentamur: Si imago Dei fuit primi hominis substantia, sequitur .1. Imaginem Dei non esse amissam, quia substantia hominis non est amissa. 2. Alium hominem peccasse, & alium pœnam luisset. 3. Hominem esse Deum: Imago enim Dei in homine consistit in justitia, & sanctitate veritatis, Eph. 4. vers. 24. Substantialis verò bonitas, sanctitas, & justitia solius est Dei, imò ipse Deus, Matth. 19. vers. 1. 4. Nullum esse discrimen inter Filium Dei, qui solus est substantialis imago Dei, Col. 1. ver. 15. Hebr. 1. ver. 3. Et hominem, qui conditus est ad imaginem Dei; Lombardus libr. 2. Dist. 16. lit. E. scribit: *Homo è imago dicitur, & ad imaginem; Filius autem imago, non ad imaginem: quia natus, & non creatus, equalis, & in nullo dissimilis, homo creatus est à Deo, non genitus, non parilitate equalis, sed quadam similitudine accidens ei.* 5. Sensus propositionis hujus (homo ad imaginem Dei est conditus) hunc esse, homo ad substantiam hominis est conditus. Atqui omnia illa sunt absurda. Ergo.

60. Excipit Flacius distinguendo inter hominem physicum & Theologicum, contenditque se tantum loqui de homine Theologico, in quo imago Dei fuerit ipsa substantia, & non de homine physico.

61. Respond. Distinctio illa mera est tergiversatio, & sophisticum effugium: Distinguendum nos censemus inter rem consideratam & modum considerandi: unus idemque homo, quoad rem consideratam est, sive Physicè sive Theologicè hominem consideres. Modus verò considerandi est diversus. Nam aliter considerat hominem Physicus, nempe secundum essentiam, suam prout ea suis constat partibus essentialibus. Aliter considerat hominem Theologus, nempe respectu diversorum statuum, quatenus idem homo vel justitiâ originali est præditus, vel peccato infectus, vel beneficio Christi liberatus, justificatus, salvatus.

62. *Contra insurgit Flacius, creavit Deus hominem ad imaginem suam,*

*suam, inquit pag. 445. totam scilicet essentiam hominis, & non tantum ejus accidentia: Inde & homo creatus non tantum accidentaliter, sed etiam substantialiter fuit bonus. Ergo imago Dei in homine fuit ipsa hominis substantia: Et pagin. 489. Deus condidit ipsum hominem ad imaginem suam, non tantum ejus accidentia: Ergo etiam ipsa hominis substantia est imago Dei.*

63. Respond. 1. Hæresis anthromorphitarum ex orco revocatur, Deusque corporeus esse statuitur, quia asseritur, quod corporea hominis substantia Deum repræsentet. 2. Homo est quidem substantialiter bonus, verum non eo, quod ad imaginem Dei est creatus, sed eo, quod est effectum Dei, à quo non est nisi bonum. Gen. 1. 3. Distinguiamus inter subiectum denominationis, & rationem denominantem: subiectum denominationis imaginis Dei fuit totus homo, ratio denominans fuit concreatum accidens.

64. Instat ipse, natura, inquit, recta, & integra fuit ipsius hominis primi substantia. Atqui imago Dei, sive justitia originalis fuit natura recta, & integra hominis primi. Ergo.

65. Resp. Non distinguitur inter essentialia constitutivum, & consecutivum, inter esse absolutum, & modificatum, inter esse, & tale esse, inter formam substantialem, & accidentalem: Omne abstractum dat esse concreto, ut fortitudo homini forti, albedo albo; verum non esse absolutum, & substantiale, sed modificatum: Sic & imago Dei dedit homini esse non absolutum, sed modificatum, nempe accidentale.

66. Pergit ipse. Quod Satan corrumpit, inquit pag. 488. fuit substantia. Atqui imaginem Dei in homine Satan corrumpit. Ergo. Deinde illa Satana operatio destruentis hominem non est solum quedam alteratio, sed fœdissima ipsius substantia inversio, pag. 488. Et si imago Dei non fuit substantia, sed tantum quedam accidentia, substantia non erit corrupta. At consequens est impium. Ergo.

67. R. 1. Si substantia est imagine Dei spoliata. E. aliud est substantia, & aliud imago Dei, quæ est deperdita. Prius affirmat Flacius. E. & posterius affirmet oportet. 2. Substantia est corrupta non in se, & respectu sui, sed respectu suæ conditionis connaturalis. Naturalia igitur non sunt amplius integra, nõ quasi substantia ipsa sit amissa; sed quod conditio naturalis ipsius substantiæ sit deperdita. 3. Corruptionis vocabulum quando in hac materiâ usurpatur, denotat naturalis conditionis perditionem, non substantiæ, vel annihilationem, vel in se  
corru.

corruptionem. Itaque usurpatur contra eos, qui imaginem Dei in homine nudum ornamentum nominarunt.

67. Deniq; pugnat Flacius auctoritate B. Lutheri, qui aliquoties imaginem Dei nominaverit *connaturalem*, imò expresse scripserit, fuisse eam de *essentia hominis*.

68. Resp. i. Usus est istis vocabulis, ut doceret, imaginem Dei non fuisse *supernaturale ornamentum*; Sed *connaturalem conditionem*, 2. *Essentiã* igitur consideravit, non in *prædicamento substantiæ*; Sed in *Prædicamento Qualitatis*, denotavitq; eã conditionem *substantiæ*. Inde scribit in cap. 3. Gen. *Sicut natura, & essentia oculi est videre, ita natura rationis, & voluntatis in Adamo fuit, nosse Deum, considerare Deo, timere Deum.*

69. Quæstio quarta: Num *justitia originalis rectè nominetur gratia primi hominis*?

70. Resp. In tomo suo quarto Bellarminus insignem agit gratiæ præconem, sed dolosè, & fraudulentè. Nam vires liberi arbitrii contra gratiam propugnat: Merita humana contra fidem defendere annititur: Et quod de gratia prædicare cæperat, meritis humanis finit. Primam controversiam inscribit *de gratia generi humano in primo parente collata, vel, de gratia primi hominis.*

71. Titulus iste speciosus subsequentiũ controversiarum semina occulta spargit. Breviter ad eum respondemus. 1. Cum Scriptura est loquendum. At hæc de originali justitia in Gen. agens, dicit hominem ad imaginem, & similitudinem Dei esse creatum. Inde igitur denominari debebat. 2. Scriptura gratiam hominis nescit; Et tantũ gratiam Dei, & Christi prædicat, Eph. 2. v. 8. 2. Cor. 12. v. 9. 1. Cor.

15. v. 10. Act. 15. v. 11. 3. Causa cum effectu non est confundenda, nec justitia inhærens stabienda, neque merita hu-

mana prædicanda. Quæ de re alibi plura.

Finis Disputationis XL,



## DISPUTATIO XLI.

QVÆ EST DE IMAGINE DEI IN HOMINE,  
altera

Resp. Petro Schönbergio Tremoniâ - Westphalo

SENTENTIA PROTESTANTIUM

THESES I.



OTES & excellentiæ hominis primi uno nomine nominantur *justitia originalis*. Erat verò *justitia originalis perfectio, integritas, & rectitudo totius hominis, & omnium virium, ac facultatum cum inter se, tum in ordine ad actiones suas perficiendas.*

2. Rectitudo, & integritas animæ rationalis Theologis dicitur *justitia*, eo sensu, quo integrum, & suâ naturâ perfectum dicitur *justum*.

3. Usurpantur verò vocabulum *justitiæ* hoc loco non disjunctim pro *justitia particulari*, sed conjunctim pro *justitiâ universali*, quæ suo complexu omnes virtutes comprehendit, nimirum mentis notitiam, cordis sanctitatem, appetitus integritatem, & reliquarum virium conformitatem.

4. Nominatur *justitia illa originalis* 1. *Ratione sui* quia in homine fuit omnium prima. 3. *Ratione primi hominis*, quia homo ab origine suâ eam habuit, eâque vestitus fuit. 3. *Ratione posterorum*, in quos ab Adamo propagari debuisset. Erat enim *justitia non privatæ personæ, sed naturæ humanæ*. 4. *Ratione differentie*, ut distinguatur à *justitia Ethicâ, pharisaicâ, imputatâ, & inchoatâ*.

5. Subjectum inhesionis *justitiæ originalis* fuit anima, cui erat concreata. Subjectum denominationis totus fuit homo, quem perficiebat. Tria enim fuerunt in Protoplastis. 1. *Essentia*. 2. *Essentiæ facultates*. 3. *Facultatum habituales, & naturales, perfectiones*. Post eum Adamus comedendo de arbore vitæ deperdidit. Itaque natura

Bbbbb

turalia

turalia in Adamo, & posteris ipsius non manserunt integra: Mors, & externi defectus sunt à culpâ. Concupiscentia in renatis reliqua est peccatum: Lex nequit à nobis impleri: & bona opera non sunt causâ vitæ aeternæ meritoria.

6. Itaque natura primorum parentum cum nullo torpore & virium rebellionem fuit condita, sed ita recta, ut mens fuerit plenâ notitiâ divinæ voluntatis: voluntas fuerit propensa ad Dei sanctitatem, & consenserit legi Dei, omnesque motus extiterint sancti, & integri.

7. Itaque iustitia originalis fuit non donum supernaturale, & extrinsecè naturam tantùm circumstans; Sed conditio naturalis naturam intrinsecè perficiens.

#### SENTENTIA PONTIFICIORUM

8. Adami natura in se condita fuit cum quodam languore, & virium rebellionem, quæ ex contrariis propensionibus originem trahebat, *Bellarminus lib. de Grat. primi homin. cap. 5.*

9. Itaque concupiscentia est homini naturalis, & quidem non ut aliquod bonum, sed ut vitium naturæ: non ex intentione conditoris; Sed ex conditione materiæ.

10. Per lapsum, seu peccatum igitur ne quicquam de naturalibus homo amisit; Sed naturalia manserunt integra.

11. Itaque languores, externi defectus humani, & mors sunt per se à conditione naturæ, & non à culpa, à qua est remotio supernaturalis doni languorem cohibentis.

12. Itaque concupiscentia in renatis reliqua non est peccatum. Lex ab homine potest impleri: Et bona opera sunt vitæ aeternæ meritoria.

13. Ne autem rebellio illa virium in statu innocentiae eorumperet in actum, Deus addidit supernaturale donum iustitiæ, quâ coerceretur: Dono illo per lapsum deperdito natura non est corrupta, sed tantùm rebellio virium concreta in actum perducta.

#### STATUS CONTRO- VERSIAE.

14. Duo igitur potissimum in controversiam veniunt: Alterum est de conditione naturæ; Alterum de conditione originalis iustitiæ, de quibus & aliis annexis agemus.

15. *Quaestio prima: Num primi hominis natura cum virium rebellionem fuerit creata?*

16. *Factionis Jesuiticæ Antesignanus Bellarminus Tom. 4. lib de Grat, primi hominis cap. 5. suam, & suorum de propositâ quaestione exponit sententiam his verbis: Sciendum est primò hominem naturaliter constare ex carne, & Spiritu, & idèd partim cum bestiis habere propensionem quandam ad bonum corporale, & sensibile, in quod fertur per sensum & appetitum: Ratione Spiritus, & communionis cum Angelis habere propensionem ad bonum Spirituale, & intelligibile, in quod fertur per intelligentiam, & voluntatem. Ex his autem diversis vel contrariis propensionibus existere in uno, eodemque homine pugnam quandam, & ex ea pugna ingentem bene agendi difficultatem, dum una propensio alteram impedit. Sciendum secundo divinam providentiam, initio creationis, ut remedium adhiberet huic morbo, seu languori naturæ humanæ, qui ex conditione materiae oriebatur, addidisse homini donum quoddam insigne, justitiam videlicet originalem, qua veluti aureo freno pars inferior parti superiori, & pars superior Deo facile subjecta contineretur. Sic autem subjectam fuisse carnem Spiritui, ut non posset ipso invito moveri, neque ei rebellis fieri, nisi ipse fieret rebellis Deo. In potestate tamen Spiritus fuisse, rebellem Deo fieri, & non fieri. Quare non magis differt status hominis post lapsum Adæ à statu ejusdem in puris naturalibus, quam differat spoliatus à nudo, neque deterior est humana natura, si culpam originalem detrahas, neque magis ignorantia, & infirmitate laborat, quam esset, & laboraret in puris naturalibus condita. Proinde corruptio naturæ, non ex alicujus doni naturalis carentia, neque ex alicujus male qualitatis accessu, sed ex sola doni supernaturalis ob Adæ peccatum amissione profluxit.*

17. *Eundem errorem per pugnat Pererius libro 5. in Genesi Disputat. de tertiâ excellen. pagin. 180. Eodem, inquiens, modo se habet nunc homo in statu naturæ lapsæ, ac se habuisset, si in puris naturalibus esset creatus. Peccatum enim nihil de his, quæ naturalia sunt homini, aut perdidit, aut diminuit. Quemadmodum enim post peccatum Adami corpus humanum nihilo magis factum est mortale, aut passibile, quam si fuisset, si homo esset in puris naturalibus conditus: Ita humanus animus per se non est Adami peccato imbecillior ad bene agendum, quam fuisset, si cum Deo in puris naturalibus creasset.*

18. Adversatur opinio hæc apertæ scripturæ, quæ docet, naturam primorum parentum fuisse integerrimam, & cum nullâ virium rebellionem conditam. Ostendemus id Scripturæ testimoniis, & legitimis consequentiis.

19. Testimonium Scripturæ primum legitur Gen. 1. v. 31. *Tunc inspexit Deus, quicquid fecerat, ecce a. bonum erat valde.* Urgemus particulam demonstrandii **הַיּוֹם** ecce. Quando enim in sacris literis aliquid bene notandum, diligenter intuendum, & accuratè considerandum proponitur, frequens hujus particulæ est usus, ut *Esai. 7. v. 14. c. 12. v. 2. Gen. 1. 29. c. 16. v. 2. c. 29. v. 2. Exod. 31. v. 6. c. 32. v. 9. Psal. 40. v. 8. Heb. 10. v. 5. 2. Sam. 15. v. 25. Mar. 13. v. 1. cap. 16. v. 6. Job. 1. v. 36. cap. 19. v. 14.* Deinde urgemus vocabula **טוֹב מְאֹד** bonum valde, quibus describitur superlativus, hoc est, omnia erant creata optima, & in suo genere perfectissima, ita ut cum delectatione essent conjuncta. Quare in homine primo non fuit prava concupiscentia, nec virium rebellio, neque inordinata dispositio, nisi quis hæc voluerit bonis adscribere, & illis, quibus delectatur Dominus, annumerare.

20. Secundum legitur Gen. 2. v. 25. *Erat uterq; nudus, Adam scilicet, & uxor ejus, & non erubescabant.* Hinc ita inferimus: Primi parentes nudi non erubuerunt. Ergo rebellio, appetitus inordinatus, concupiscentia prava ipsis non fuit concreata. Appetitus enim inordinatio pudoris est causa, Gen. 3. v. 6. 7. Beda dicit: *Quid eos puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis sue. Nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur. Nihil putabant velandum, quia nihil senserant refranandum.*

21. Tertium Ecclesiasta 7. v. 30. *solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum.* Intellige rectitudinem, quam Adamus per lapsum perdidit, & quæ in iustitiâ, & sanctitate veritatis consistit, quam naturalem appellamus, non ratione originis, quasi à naturæ principis promanarit, sed respectu subjecti, quod naturæ in primâ creatione fuerit implantata. Qui igitur creatus est rectus, ille non creatus est curvus, nec cum virium rebellionem, neque cum facultatum pugnam. Atqui homo creatus est rectus. Ergo.

22. *Legitimarum consequentiarum primam desumimus à vitiositate rebellionis. Nullius vitiosi Deus est author, quia abominatur illud. Cujus au-*

*ius autem Deus est ultor, ejus non est author. Atqui omnis rebellio est vitiosa, quia aberrat à rectitudine. Ergo.*

23. *Secundam à pœna rebellionis. Ob quod homo à Deo punitur, Diaboli arbitrio, & potentia est obnoxius, & subiectus; id beneficii creationis nec debet, nec potest annumerari: Cujus enim Deus est ultor, ejus non est author, dixit rectè Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 19. Atqui ob rebellionem homo à Deo punitur atque Diaboli arbitrio, & potentia est subiectus, atq; obnoxius. Ergo.*

24. *Tertiam ab exemplo Christi, in quo nulla fuit virium rebellio: Si verò virium rebellio dependeret à naturæ conditione, & proprietate, adhæssisset & illa Christo, adeoque non omni caruisset ipse peccato: Inordinata enim appetitus concupiscentia peccatum est, Rom. 7. v. 7. 1. Job. 2. v. 16. Atqui consequentis affirmatio est impia, & absurda: Omnis enim labis ipse fuit expers, nec in ore ejus inventus est dolus. Ergo & antecedens. Consequentia majoris est indubitatae veritatis: Factus enim per omnia nobis est similis excepto peccato, assumpsitque naturam humanam, & omnia ejus essentialia propria, Hebr. 2. vers. 14.*

25. *Quartam à felicitatis primæ extenuatione: Si primus homo cum virium rebellionem est conditus vitiumque hoc naturæ firmiter inhæsit, primus certè hominis status non fuit felicissimus. At consequentis affirmatio est impia, quippe scripturæ adversa. Ergo. Imò originalis justitia hac ratione extenuatur: Non enim tam eximium fuisset Dei donum, ut commendatur in Scriptura: Siquidem se habuisset instar medicinæ palliativæ, & naturam non purgasset, sed morbum tantum contexisset.*

26. *Quintam à statu glorificationis: Si virium torpor, & rebellio necessariò sequitur ipsam materiam, & naturam, utiq; manebit ipsa in ipso statu glorificationis: Negato enim actu secundo non statim tollitur actus primus, & ipse habitualis torpor. Atqui consequens est impium: In Ecclesia enim triumphante nulla erit macula, nulla ruga, Eph. 5. v. 27. Ergo & antecedens.*

27. *At contra insurgit Bellarminus, in quocunq; argumentans, naturaliter sunt contraria, naturaliter in contraria fertur. Atqui in homine naturaliter sunt contraria, nempe appetitus sensitivus, & ratio. Ergo naturaliter*

raliter in contraria fertur, nempe per appetitum sensitivum in bonum corporale, per rationem in bonum spirituale, hinc oritur lucta, & virium rebellio.

28. R. Discernere debebat Bellarminus naturale, & ordinatum à præternaturali, & inordinato. Seu distinguere debebat inter appetitum & inter appetitus *αἰσθητικῶν*. Ille à Deo est, & omni caret vitio: Adamus n. in statu innocentiae naturæ instinctu naturalem sensisset appetitum vacuo stomacho; Appetitus verò iste naturalis non pugnavit cum spiritu rationali, nec hic repugnasset appetui naturali: Non enim potuit, nec debuit repugnare ordini creationis divinæ; Hac nimirum *αἰσθητικῶν* ex peccato naturam maculante originem traxit, Deinde distinguere debebat inter contraria, & subordinata: ante lapsum appetitus rationi non contrariabatur sed subordinabatur: sic enim conditus erat homo ut potentia superior præflet inferiori & inferior pareret superiori. Itaque quod appetitus rationi subiciebatur, illud erat naturæ, quod ipsi jam repugnet, est culpæ: illud erat concreatum, hoc introductum: illud ascribitur habitui naturæ, hoc habitui malitiæ.

29 Instat Bellarminus & proponit, aliam inquit rationem c. 6. corruptio quæ nunc est, & rebellio carnis ad spiritum aut est à Deo aut à pomo vetite, aut à statu serpentis aut à puris naturalibus remoto dono supernaturali; at priora tria sunt absurda. Ergo relinquitur quod corruptionis hujus causa efficiens sit conditio materiæ in primo homine, meritoria sit peccatum Adami: divina justitia spoliās hominē dono supernaturali sit causa removēs impedimētū actus secundi: & in his est acquiescendū, nec alia quærenda est causa.

30. Respond. quod insufficiens sit causarum enumeratio: causis enim enumeratis addenda est harmoniæ in natura divinitus conditæ destructio quæ est à diabolo suggerente à voluntate hominis consentiente, à Deo permittente.

31. Addunt verò alii exemplum Christi dicentes: si in ipso Christo, in quo tamen naturalia erant integra, pugnavit appetitus cum ratione ergo multo magis in primo homine, at verum prius: appetitus enim mortem fugiebat ratio mortem eligebat. Inde precatio Christi Lucæ 24. *Transat à me calix iste.* Ergo.

32. Respond. Ineptè nobis *αἰσθητικῶν* Christi objicitur, Nam  
I. In agone isto CHRISTI non pugnavit appetitus mortem fugiens

ens cum ratione mortem eligente, sed voluntas humana cum voluntate divina quasi luctabatur, adeoque totus homo cum Deo, idque ex ipsius CHRISTI colligitur verbis: Non quod ego volo, sed quod tu vis, fiat. 2. Indaganda est causa efficiens hujus agonis & doloris quæ non est inordinatus appetitus, sed naturalis affectio: Naturale enim est omni homini mortem fugere, quia ad mortem. 1. natura non est facta. 2. Quia mors naturam destruit, ipsique adversatur. Quodlibet verò ens naturaliter sui appetit conservationem. Mortem igitur fugere naturale est, immodicè eam formidare pusillanimitatis, & infidelitatis est. Cum vero Christus per omnia sit factus nobis similis excepto peccato, nostras etiam affectiones naturales in se expertus est, præsertim cum ipsi subeunda esset mors non simpliciter naturalis, sed satisfactoria, pro toto genere humano. 3. Considerandum est, quomodo CHRISTUS mortem fugere expetiverit? Certè non immodicè. Nam in Paradyso statim post Adæ lapsum semetipsum patri pro genere humano obtulit, atque sic honori sibi duxit, mortem pro genere humano subire: desiderio desideravit Pascha ultimum cum discipulis celebrare. Et aliquoties in hac ipsa prece ingeminat, fiat, inquit, voluntas tua, non mea. Itaque voluntas humana non directè pugnabat cum divina, sed nutabat, cum à voluntate divina esset diversa, cui tamen sese planè subiciebat. Addunt alii, Christum orasse, ut transferretur à se calix iste, primò ut se verum hominem, cujus est mortem fugere, non phantasticum, & apparentem, prout quidem hæretici blasphemarunt, probaret. Secundò ut nostram imbecillitatem confortans in angustiis nostris ad Deum recurrere doceret, & cum Psalmista dicere: *Ad Dominum cum tribularer clamavi*. Tertiò, ut nostram voluntatem cunctis in rebus divinæ subjiendam esse voluntati ostenderet. Precatus verò est non simpliciter, sed cum conditione. At in ejusmodi non semper est exauditus.

33. *Quæstio secunda. An primus homo habuerit excellentem Dei rerumque naturalium cognitionem concreatam?*

34. De conformitate intellectus cum Dei sapientiâ quaeritur, an non habuerit primus homo Dei & aliarum rerum cognitionem excellentem; & utrum ea ipsi fuerit innata an aequilata, seu infusa? Prius arctè tenemus & defendimus. *Primo Scriptura testimonio. Secundò Adami facti. Tertiò legitimis rationibus.*

35. Scripturæ testimonium primum legitur Gen. 1. v. 31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat & erant valde bona.* Hinc colligitur Deum cæleſte omnia animalia in ſuo genere perfectæ. Itaque corpus primorum parentum erat perfectum ætate, ſtaturæ proceritate, virium firmitate. Itaque anima ipſorum erat perfectæ. Itaque rerum cognitione & ſcientiâ fuit prædita, in qua animæ perfectitudo conſiſtit.

36. *Secundum legitur Syr. 17. v. 5. disciplina intellectus replevit illos,* nempe primos parentes, de quibus principaliter eo in loco eſt fermo. Replevit verò ipſos rerum omnium cognitione in ipſa ad imaginem ſuam formatione. Notitia igitur rerum fuiſt ipſis implantata.

37. *Tertium Eccleſiaſta 7. v. 30. Fecit Deus hominem rectum,* nempe corpore, ſtaturâ, & rerum cognitione. Rerum igitur cognitionem in ipſa creatione ipſi inſevit. Si enim adſcribas intellectui hebetudinem, & ignorantiam; non rectum, ſed curvum, & obliquum eum creatum eſſe dicas, oportet.

38. *Quartum Coloſſ. 3. v. 10. Induite novum hominem, eum, qui renovatur in agnitionem ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum.* Hinc ita inferimus. 1. Si imago Dei conſiſtit in ſcientia, fuit hæc Adamo conſeſta, quippe qui ad imaginem Dei fuit creatus, & in quo imago Dei erat conditio, & integritas conſeſta. At verum prius. Ergo. 2. Perfectam rerum cognitionem amiſimus. Ergo aliquando eam habuimus. 3. Ad quod debemus renovari, illud aliquando habuimus. Atqui renovari debemus in agnitionem. Ergo.

39. *Secunda argumentorum Clafis facta Adami conſideranda exhibet, ut ſunt. 1. Evæ agnitio, Gen. 2. v. 22. Et dixit Adam: Hæc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne meâ; hæc vocabitur virago, quia de viro ſumpta eſt.* Altifſimus ſomnus Adamum complexus erat. Nihil igitur de formatione Evæ cognoverat. Quàm primum verò ipſam aſpexit, carnem eſſe de ſua carne, & ex ſua coſtâ formatam agnovit, convenientiſſimumque nomen ipſi impoſuit, viraginem, ſeu viram nuncupando, quâ appellatione cauſam materialem, formalem, & ſinealem ſexus fœminei, oſtendit. Ex viro enim fœmina eſt facta, virique cauſa & altera quaſi viri pars. Excellentis igitur ſapientiæ, & prophetiæ ſimul teſtimonium eſt Evæ agnitio.

40. 2. *Nominum impoſitio.* Qui potuit ipſas rerum formas inſpicere, & convenientia rebus nomina imponere, ille excellenti

rerum cognitione fuit præditus. Atqui Adamus ipsas rerum formas potuit introspicere, & ipsis convenientia nomina imponere. Ergo. &c. Non acquisivit verò sibi Adamus notitiã illam experiẽtiã, cum inter creationem ejus, & nominum impositionem brevissimum tempus intercesserit.

41. Tertia classis continet rationes nonnullas, quarum prima sumitur à notitiis nobiscum natis: Si nobis notitiæ quædam ingenerantur, multò magis ipse Adamus rerum cognitione est creatus, quippe qui perfectè ad imaginem Dei fuit creatus. Atqui nobis quædam notitiæ ingenerantur. Ergo. Rom. 2. v. 14. 15. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt. Ostendunt enim legis opus scriptum in cordibus suis. Si igitur Ethnicorum cordibus opus legis fuit inscriptum, omnino notitiã aliqua ipsis fuit ingenerata. At verum prius. Ergo &c. Inde ob scintillas illas notitiarum nobiscum natarum nominarum genus Dei, Act. 17. v. 29.

42. Arguunt idem conscientia pavoros. Indicat enim Cicero in Orat. pro Milone Conscientiæ magnam vim esse in utramque partem, ut timoris fiat expertes, qui nihil mali perpetrarint & pœnam semper ob oculos versari putent, qui peccarint. Inde dicit Ovidius lib. 5. Fastorum.

*Conscia mens ut cuiq; sua est, ita concipit intra  
Pectora, pro factisq; metumq; suo.*

43. Principia enim nobiscum sunt nata, Deum esse, eumque scelerum esse vindicem. Ipse igitur non dimittet impunitos, qui mala perpetrant. Cum igitur homines, qui legem Dei scriptam non habuerunt, sint transgressores legis, & propterea ἀναπολόγητοι, Rom. 1. v. 20. Cum naturaliter aliquid legis faciant, Rom. 2. v. 14. 3. Cum opus legis sit inscriptum cordibus ipsorum, Rom. 2. v. 14. 4. Cumque hujus rei conscientia ipsis reddat testimonium, Rom. 2. v. 15. Aliquid ex legis natura hauserint necesse est.

44. Accedit quod facultatibus inferioribus suas affectiones assignemus. Quidni igitur superioribus? Quinimò species universales seu notitiæ quædam brutis ingenerantur: Haud aliã milvi ratione pullus milvum metuit, aut ardeam, quia cognatam habet milvi speciem. Scaliger Exercit. 307. sect. 22. Multò igitur magis hominibus notitiæ quædam ingenerantur.

45. His additur rectè universalis consensus, de quo dicit *Cicero* in lib. de legib. *Nulla gens est tam fera qua non, etiamsi ignoret, qualem Deum habere deceat, tamen habendum sciat.*

46. Principia illa nobiscum nata sunt rudèra imaginis Dei arguuntque Adamo rerum cognitionem fuisse concreatam.

47. *Secundò à contrario*: post lapsum mens humana rerum ignorantia est obducta: inde confertur cum caligine & tenebris. Ergo ante lapsum insigni rerum notitiâ fuit ornata. Nam contrariorum contraria sunt attributa. Et contraria se mutuo expellunt.

48. *Tertiò à restitutione*: Cognitio Dei in nobis per regenerationem nonnihil restauratur. Ergo primis parentibus illa in creatione fuit insita. Quod enim in nobis restauratur, id in Adamo amissimus.

49. Quare improbamus opinionem Photinianorum somniantium scientiam Adami non fuisse nisi acquisitam. Rejicimus opinionem Scholasticorum & Pontificiorum statuentium scientiam Adamo non fuisse innatam, sed infusam. Videatur *Thomas part. 1. quest. 94. art. 1.*

50. Scientia verò Adami non fuit infinita, sed definita. Rectè enim disputat *Thomas loc. d.* primùm hominem de supernaturalibus tantam cognitionem accepisse, quanta erat necessaria ad gubernationem vitæ humanæ; quædam vero, quæ non sunt necessaria ad gubernationem vitæ humanæ, primum hominem non cognovisse, ut sunt cogitationes hominum futura contingentia, & nonnulla singularia, utpote quæd lapilli lateant in flumine.

51. *Addendum est ignorantiam esse vel pura negationis vel prava dispositionis*, non hæc, sed illa statui integritatis poterat attribui. Adamus enim multarum vicissitudinum in elementis, & elementaris observatione in variatum rerum cognitionem introduci poterat.

52. Cunctis nihilominus mortalibus, uno excepto Christo: qui est *θεός και σωτήρ*, & in quo omnes thesauri sapientiæ sunt reconditi, Adamus fuit sapientior. Nam Adamus perfectè ad imaginem Dei fuit creatus, quæ in nobis in hac vita non nisi inchoatur, in futura consummabitur. *Pererius libr. 5. p. 169.* Excipiendos quidem etiam opinatur Apostolos, sed falsò. Nam & in ipsis etiam imago Dei

non

non plenè & perfectè fuit restituta, *Phil. 3. v. 12.* Et ex parte quoque ipsi cognoverunt.

53. Dicitur quidem *Salomon* omnibus hominibus sapientior *3. Reg. 3. vers. 12.* Verum intelligendum illud est, vel de hominibus in statu corruptionis, vel de regibus Israël ipso prioribus.

54. Quæstio tertia: *An voluntas hominis primi fuerit conformis Dei sanctitati, & iustitia?*

55. Respond. Docuerunt huc usque Theologi unanimiter ex scriptura Deum condidisse primum hominem sanctum, & iustum, adè ut sine ulla virium rebellionem legem Dei implere potuisset. Duo enim conformitas illa voluntatis humanæ comprehendebat. 1. *Impulsionem ad bonum.* 2. *Facilitatem istius impulsionis executionem, quæ libertas dicitur.*

56. Certissimæ huic sententiæ cum sese opponant Neoterici nonnulli somniantes *hominem creatum esse non sanctum, non iustum;* idè ostendendum est hominem non tantum substantialiter, sed etiam accidentaliter sanctum, bonum & iustum esse creatum, & proinde non neutralem.

57. Confirmationis argumentum primum petimus ab *authoritate Scripturæ Gen. 1. v. 31.* quæcunque Deus fecerat, ecce erant bona valde. Nam non dicit Moses erant non bona, h. e. indifferentia. *Ecclesiaste igitur 7. v. 30.* dicitur. Fecit Deus hominem rectum, indifferens v. voluntas, quæ sit non sancta, recta dici nequit.

58. 2. *Ab efformatione hominis ad imaginem Dei:* Primi homines ad imaginem Dei fuerunt creati, *Gen. 1. v. 26. cap. 5. v. 1.* Ergo sancti & iusti sunt conditi. Ratio enim imaginis Dei in sanctitate & iustitia etiam consistebat. *Eph. 4. v. 24.* Erat conformitas intellectus cum Dei sapientia; erat conformitas voluntatis cum Dei sanctitate & iustitia. Appetitus cum Dei castitate & puritate. Itaque impium & absurdum est dicere, primum hominem ad imaginem Dei fuisse creatum, non quasi fuerit sanctus, sed quod talis fieri potuerit. Nam conformitates illas cum Dei sapientia, sanctitate & castitate per lapsum Adamus deperdidit: Ergo eas habuit; quod quis non habet, amittere nequit.

59. *Ecclesiastes* itidem talem hominis primi intelligit rectitudinem *c. 7. v. 30.* quæ amisit. Rectitudinē v. illam, integritatē & sanctitatē non

nominamus simpliciter *moralem*, seu non appellamus eam *moralem* respectu acquisitionis, quia non assuefactione seu exercitatione, ut jam post lapsum acquirebatur; sed *moralem* respectu convenientia, vel rectius *connaturalem*, quia primis parentibus fuit innata.

69. 3. *Arenovatione*. Ad quod nos renovamur, in illo, primus homo fuit conditus, *Col. 3. vers. 10.* Atqui renovamur ad sanctitatem, *Eph. 4. v. 24.* Ergo.

70. 4. *A contrario*: Post lapsum homines nascuntur cum peccato, & sunt iniusti, atque ad omne malum à pueritiâ proni. *Gen. 8. v. 21.* Ergo ante lapsum homines creati sunt, & fuerunt sancti & iusti. Contrariorum enim contraria sunt attributa. Status verò ante lapsum & post lapsum contrariè opponuntur.

71. 5. *A reliquiis nobiscum natis*: Nascuntur cum hominibus post lapsum virtutum stimuli, & bonitatis ac justitiæ semina ac scintillulæ: Hujusmodi sunt: *Honestè vivere, alterum non ledere, suum cuique tribuere*, Ergo homines ante lapsum creati sunt cum virtutum complemento, & ipsa justitiæ & sanctitatis flammâ, & habitu.

72. 6. *His adduntur rectè piorum Patrum testimonia*: *Gregorius lib. 2. in lib. 1. Reg. cap. 2. imago, inquit, & similitudo Dei est, in chyro odio malum odisse, & perfectò amore bonum diligere.* *Damascenus* scribit in lib. 2. cap. 12. *fecit Deus hominem purum, pravitatèq; carentem, rectum, sortem, jucundum, securum, omni virtute decorum, donis omnibus ornatum, veluti quendam secundum mundum, in magno quidem mundo parvum, Angelum alterum, &c.*

73. *Quamobrem fixa & immota stat sententia, hominem primum sanctum & justum esse creatum.*

74. *Disputant Scholastici, utrum Adamus omnes habuerit virtutes, nec ne? Thomas part. 1. quest. 91. Art. 3. censet quasdam virtutes in primo homine fuisse & secundum habitum, & secundum actum, ut sunt: pietas, charitas &c. Quasdam secundum habitum & non secundum actum, ut sunt: Misericordia, Pœnitentia, &c.*

75. *Misâ proluxa disputatione respondendum esse arbitramur in primis parentibus fuisse omnium virtutum concentum longè pulcherrimum, ita ut vitam ante lapsum reverâ duxerint beatam. Quod enim per renovationem in nobis recuperatur, illud primis parentibus concrebatur. Itaque in statu innocentia viguit, pietas in*  
Deum

Deum, charitas in proximum : Sancta enim primorum parentum erat voluntas.

76. *Quæstio quarta : Vtrum iustitia originalis fuerit donum naturale, seu concreata hominis proprietatis; An verò donum quoddam supernaturale, & extrinsecus additum?*

77. *Resp. De propositâ illâ quæstione suam, & suorum opinionem his tradit verbis Bellarminus, cap. 5. Nos existimamus rectitudinem illam etiam partis inferioris, fuisse donum supernaturale, & quidem per se, non per accidens. Ita, ut neque ex natura principis fluxerit, neque potuerit fluere. Et quia donum illud supernaturale erat, eo remoto, natura humana sibi relicta pugnam illam experiri cœpit partis inferioris cum superiore, qua naturalis futura erat, id est, ex conditione materiae secutura, nisi Deus iustitia donum homini addidisset.*

78. *Propositionem igitur hanc proponit pag. 15. Rectitudo illa, cum qua Adam creatus fuit, & sine qua post ejus lapsum homines omnes nascuntur, donum supernaturale fuit.*

79. *Illustrant hanc communem suam opinionem Pontificii quibusdam similitudinibus, comparantes iustitiam originalem 1. cum veste, quâ oblatâ, homo quidem nudus relinquitur, sed naturalia ipsius omnia integra relinquuntur. 2. Cum Samsonis fortitudine quæ supernaturaliter accepta, crinibus præcissis, fuit amissa naturalibus permanentibus integris. 3. Cum virginis sero capiti imposito, & ab eo ablato, virgine permanente, quod erat antè, 4. Cum antidoto venenum reprimente, licet extra hominis naturam existat.*

80. *Pomposè illa à Bellarmino & aliis Papicolis quidem dicuntur, sed probè à protestantibus examinata, facile evanescunt, quorum constans & ex scripturæ fontibus derivata est sententia, iustitiam primam dici connaturalem, non quasi naturam constituerit, sed quia ei rectè inhererit, eam perfecit, & ad posteros propagari naturaliter debuerit.*

81. *Confirmamus sententiam illam Primò ab hominis ad imaginem Dei creatione: Nullum concreatum est rei creatæ adventitium, extrinsecum, & connaturale. Seu: omne concreatum est connaturale. Atqui imago Dei in homine, animæ virium rectitudo, integritas atque iustitia originalis homini primo erat concreata. E. erat ipsi connaturalis & intrinseca, non leve quoddam ornamentum extrinsecum. Major suâ lucet luce. Nam 1. quod corporibus, & animalibus est*

bis est con creatum, hoc illis connaturale dicitur, idque vel ex exemplorum inductione colligitur. 2. De naturâ & naturalibus, primarium & fundamentale iudicium ex ipsâ naturâ creatione facimus.

82. Minor est ipsius scripturæ Gen. 1. v. 26. *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Facere hoc loco creare significat, ut & in hisce: omne quod fecit erat valde bonum: Et cessavit die septimo ab omni opere suo, quod fecerat. Fecit igitur Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam i. e. creavit eum cum summâ integritate, perfectione & complemento. Itaque formatio corporis, & inspiratio animæ sine humanæ naturæ integritate & originali iustitia non absolvat naturæ humanæ creationem, quia careret perfectione suâ ultimâ. Colligitur idem ex collatione hominum & animalium brutorum. Quemadmodum enim animalia bruta ad genus suum sunt creata; ita homo ad imaginem & similitudinem Dei est creatus. Conformitas verò cum genere suo animalibus brutis est connaturalis. Ergo conformitas cum Deo seu iustitia originalis homini fuit connaturalis. Et quemadmodum animalium brutorum natura sine conformitate cum genere suo non fuisset integra: ita nec integra fuisset primi hominis natura sine conformitate cum Deo, & originali iustitia. Inde Ecclesiastæ c. 7. versicul. 30. dicitur: *Deus hominem fecit rectum.* Itaque Deus hominem non primum creavit, & deinde aliquod ornamentum leve extrinsecum ipsi adjecit, quia rectum ipsum fecit, hoc est creavit.*

83. *Secundò à naturali imaginis Dei propagatione.* Quæcunq; naturaliter propagantur, illa sunt hæreditaria, & naturalia. Atqui imago Dei, si perstitisset homo primus in integritate, in qua conditus erat, in homines posteros per naturalem generationem fuisset propagata. Ergo. Propositio satis est manifesta. Nam dona supernaturalia non sunt hæreditaria. Unde à baptizatis generatur non baptizatus. Assumptionem propugnant nobiscum Pontificii. Dicit enim Pererius disput. 3. de excell. Quæst. 4. pag. 186. *nullam posse afferi aliam rationem, cur peccatum omnibus posteris nocuerit, nisi iustitia originalis donum fuisset, non personæ Adami, sed totius naturæ.* Et cum nascamur naturâ filii iræ. Eph. 2. v. 3. adeoque peccatores simus, non tantùm imitatione, sed etiam peccati propagatione, omninò sequitur, si Adamus non fuisset lapsus, imaginem Dei in posteros fuisse propagatam.

84. Tertiò à contrariis, seu à collatione naturæ humanæ ante lapsum, & post lapsum considerata: Ut sese habet malum ad humanam naturam post lapsum, ita sese habebat bonum ad eam ante lapsum. Atqui malum post lapsum non est humanæ naturæ extrinsecum, sed intrinsecum, connaturale, & ipsi altissimè infixum. Ergo bonum ipsi naturæ ante lapsum erat intrinsecum & connaturale.

85. Consequentia Majoris est firmissima: Contrariorum enim unum arguit alterum. Ex unius igitur contrarii naturâ judicium de alterius contrarii naturâ fieri potest. Vnde Aristoteles dicit 6. Top. cap. 9. *le. 4. Contraria habent sese similiter.* Tria est maxima: *Contraria juxta se posita magis elucescunt.* Et, ex privatione de habitu fieri potest judicium. Minorem proponit ipsa scriptura Eph. 2. *vers. 3. Naturâ sumus filii iræ.* Psal. 451. *In peccatis concepit me mater mea.* Idem effecta hominis non renati arguunt: Universam enim doctrinam de Christo profultitiâ habet corrupta ratio. Sapientia igitur carnis est inimicitia adversus Deum. Quare homo ante lapsum ex connaturali atq; concreata animi vi *D E V M* diligebat: in ejusque voluntate promptissimo Spiritu acquiescebat.

86. Quartò: *A principis nobiscum natis tanquam à reliquiis Dei imaginis:* Cujus conditionis sunt rudera & reliquiæ alicujus rei, ejus conditionis est etiam id, cujus sunt reliquiæ. Atqui reliquiæ imaginis Dei homini post lapsum sunt connaturales. Ergo & ipsa imago, originalisque justitia homini ante lapsum fuit connaturalis. Majoris veritas inde patet, quod totum & partes in homogeneis ejusdem sint conditionis & naturæ. Homogenea enim judicantur ex subjecto, & fine. Minor legitur Rom. 2. *vers. 14. Gentes naturâ faciunt eâ, quæ sunt legis.* Et *vers. 15. opus legis est inscriptum cordibus ipsorum, adeo ut ipsa conscientia reddat testimonium de bene vel male factis.* Et si quis reliquias istas donis supernaturalibus annumerabit; concedat oportet, Ethnicis etiam ante regenerationem dona Spiritus S. supernaturalia conferri.



87. Quintò à sine incarnationis filii Dei: Filius Dei assumpsit naturam humanam, ut eam in integrum restitueret. Ergo per lapsum naturalia non manserunt integra. Ergo & illud, quod per lapsum est amissum fuit connaturale. Amissa autem est justitia originalis. Hæc igitur erat homini connaturalis.

88. *Sextò à statu glorificationis*: Dotes conferendæ nobis in resurrectione non erunt extrinsecæ & intrinsecæ, non supernaturales sed connaturales. Ergo & dotes in creatione, Adamo, & nobis in Adamo collatæ, fuêrunt intrinsecæ, & connaturales. Antecedens colligitur ex 1. Cor. 15. v. 45. Seminaatur corpus animale, resurget spirituale. Animalitas verò est naturalis corporis animalis affectio, ipsiq; intrinsecæ. Intrinsecæ igitur erit & corpori glorificato spiritualitas. Ratio consequentis est, quòd ea recipiamus planè & plenè in statu gloriæ, quæ per transgressionem deperdidit Adamus in statu innocentie.

89. His denique subjici possunt piorum Patrum testimonia: *Bernhardus* serm. 1. super festum annunc. Mariæ. *Ego, inquit, divinam arbitror esse imaginem, quæ nimirum non assumpta; sed insita, atq; ipsi impressa natura dividi, scindiq; non potest.* *Augustinus* in Enchir. cap. 11. dicit: *Amorum quæcumq; sunt vitia, Naturalium sunt privationes bonorum. Quæ cum sanantur non aliquo transferuntur, sed etiam quæ ibi erant, nusquam erunt, quando in illa sanctitate non erunt.*

90. Manifestissimam & certissimam illam sententiam scripturæ calumniis, mendaciis & depravationibus obscurare & suspectam aliis reddere studet *Bellarminus*. *Calumniatorem agit c. 1. Col. 1. Lit. C. dum Lutheranos, negare dona supernaturalia in primo homine fuisse affirmare non erubuit. Nam negamus quidem justitiam originalem donum supernaturale in primo homine fuisse; sed propterea non reliqua excludimus, cujusmodi donum naturale in primo homine fuit totius adorandæ Trinitatis inhabitatio, quæ illustravit & confirmavit concreatam illam virium omnium perfectionem & integritatem. Tota enim Trinitas gratiosè inhabitat homines renatos Joh. 14. v. 13. Ergo multò magis gratiosè habitavit in hominibus innocentibus.*

Finis Disputationis XLI.



arbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

5

